

HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY



Vierzehnter Jahresbericht

des

K. K. STAATSGYMNASIUMS

in

HERNALS.

Veröffentlicht am Schlusse des Schuljahres 1887/88

von

GEORG KOTEK

k. k. Director.

Inhalt:

WIEN.

VERLAG DES K. K. STAATSGYMNASIUMS IN HERNALS.

1888.


HARVARD COLLEGE
APR 1 1901
LIBRARY.

Studia Hyginiana.

I.

Perscrutanti mythographos latinos, quae mihi provincia obtigerat a Woelfflino, thesaurum linguae latinae parante, operae mihi videbatur esse pretium inquirere in fabularum librum, qui Hygini nomine circumfertur. Nam ex quo tempore primum Mauricius Schmidtius, meritissimus ille fabularum libri editor[1], apparatum quem dicunt criticum, quoad eius fieri potest, exornavit omnibus accurate collectis, quae Bursian, Woelfflin, alii viri docti passim de Hygino protulere, tum Robertus Unger arti criticae factitandae egregiam operam navavit[2], iure quodam quaestio denuo exoritur, quibus temporibus liber sit conscriptus, quis eius auctor fuerit.

Quam rem diiudicatam non esse ex Teuffelii hist. litt. Rom.[IV] facile cognosces; priorum enim temporum editores rem leviter tamquam in transcursu tractantes sententias pronuntiarunt nullis aut minoris momenti argumentis stabilitas. Quorum alii, quibus inprimis Lange[3] adstipulatur, C. Iulium Hyginum, Augusti libertum, quem propter antiquitatis notitiam Polyhistorem vocabant (cf. Suet. gramm. 20), auctorem huius libri fuisse statuunt; alii, quorum agmen ducit Reinesius (Var. lect., p. 372, 484) Hyginomastix ille, Heinsio accedente librum centonem esse adfirmant ex scholiastis et mythographis graecis latinisque conflatum; alii Casp. Barthio[4] auctore fabularum librum epitomen existimandam esse iudicant ex Hygino aliisque ab Aviano quodam confectam; alii Schefferum secuti alterum quendam cognomine appellatum Hygini fabularum auctorem esse statuunt, qui Antoninorum temporibus vixerit. Horum vestigia pressit Bodius,

---

[1] Hygini fabulae . . ed. Mauricius Schmidt, Ienae 1872.

[2] Cf. Philol. 35 (1876), p. 279—288 et vol. 46 (1887), p. 210—249.

[3] De nexu inter C. Iulii Hygini opera mythologica et fabularum, qui nomen eius prae se fert, librum. Moguntiae 1865.

[4] Cf. Bunte: Hygini fabulae, p. 20 adnot.

qui Mythographos Vaticanos post A. Maium edidit et ipse alium fabularum, alium Poeticorum Astronomicorum auctorem sine ulla ratione statuisse Langio (p. 3 sq.) videtur; alii, inter quos numerandi sunt Micyllus, Bernhardius (Eratosth., p. 131), Bunte, (edit. p. 20 sq.), Hygini quidem Augustei esse librum fabularum, sed varios post casus in hanc formam redactum. Nec Staverenus, qui de mythographis latinis optime est meritus[5], aut Bursian[6] praeclaro illo quo polluit acumine sententias pronuntiare verebantur, quamquam hac in re coiciendo satis fecisse sibi videbantur, firma quaedam argumenta addere omittebant. Verum hae sunt coniecturae eaeque quanti per se ipsae aestimandae sint gravitate deficiente argumentorum nemo non videt.

Veluti Bunte hunc librum epitomen esse censet ex libris quibusdam Iulii Hygini (cf. p. 22) ea, quae minus latina esse videantur, tribuens hominibus, qui librum eius descripserint vel excerpserint. Tali autem modo iudicanti, ut suo quisque arbitrio diiudicet, quid Hygino, quid epitomatori illi debeatur, fundamentum facile subtrahitur textus constituendi. Qua in re, id quod infra demonstrabimus, saepe profecto peccarunt grammatici, verborum nonnumquam consociationes repudiantes, quae minus latine dictae aliis tamen locis satis muniuntur. Atque de epitome, quam Bunte statuit, paulo infra dicemus; hoc loco de toto eius iudicio, quod, quantum scio, nemo usquam refutavit, verba faciamus. Ipsum autem iudicium nonnullis comprobare studet argumentis: p. enim 20. primum rebus et historiis ipsis, quae ab illo scriptore proponantur, grammaticum antiquissimum neque indoctum prodi adfirmat; cum autem praeter Iulium Hyginum nemo eiusdem nominis apud veteres scriptores in grammaticorum numerum referatur, dubium non esse, quin Hyginus ille Augusteus auctor sit existimandus. Sed id ipsum ante omnia quaeritur, fueritne Iulius Hyginus, Augusti libertus, auctor libri, cui nomen tantum praefixum est Hygini. Inscribi librum Hyginum, non C. Iulium Hyginum iam Morelius observavit, Hyginum nude huic opusculo praescribi Micyllus testatur. Quid? hoc nonne videtur mirum esse plurimis libris a veteribus grammaticis commemoratis praefixum esse nomen Iulii Hygini[7], hunc orbum esse et praenomine et nomine gentili? Atque si cum Langio et Buntio fabularum scriptorem plenum fuisse sumpseris doctrinae et sapientiae, nonne alienum videtur talem librum memoria quidem ob ipsam indolem, ut aiunt[8], dignissimum silentio omnino praeteriri a grammaticis et lexicogra-

---

[5] Auctores Mythographi latini curante Augustino van Staveren, Lugd. Bat. 1742.

[6] Annal. Fleckeiseni vol. 93, p. 773.

[7] Cf. Teuffel l. c.

[8] Cf. Lange, p. 10.

phis, aliis eiusdem auctoris[9] minoris momenti operibus accurate allatis? Sententiam suam nobis probare pergit Bunte eo, quod in etymologiis statuendis fabularum auctor eandem secutus sit rationem atque Alexander Polyhistor, Iulius Hyginus, Iulius Modestus, veluti cum Boeotiam a bove dictam demonstret, Priamum ἀπὸ τοῦ πρίασθαι. Sed hoc argumentum nullius prorsus est momenti; omnes enim, qui tunc temporis fuere grammatici, id quod Bunte ipse concedit, tali ratione etymologias statuerunt neque hic a more eorum recessit. Cur autem hac ex re ipsum Iulium Hyginum Polyhistorem auctorem huic libro vindicemus, causam equidem video nullam. Viros enim illustres, quibus Hygini nomen fuit, in antiquitate plures fuisse Bunte (p. 1) ipse exponit. Nec quae alia ille (p. 20 sq.) protulit argumenta digna sunt, quae pluribus verbis refutentur, nam ipsa tamquam corruunt expertia omnis gravitatis. Iam ad ultimum eius argumentum progrediamur pertinens ad dicendi genus, quod ei 'in plurimis' ne recedere quidem videtur a stilo optimorum scriptorum maximeque Iulii Hygini. Quod ut demonstraret, ei minime contigit. Paucae enim quae exstant Iulii Hygini reliquiae omnino abhorrent a sermone, qui proprius est fabularum. Videas velim quae Bunte ipse (p. 16) ex Gellio (16, 6) attulit sumpta ex Hygino: *Quae bidens*, inquit, *est hostia, oportet habeat dentes octo, sed ex his duo ceteris altiores, per quos appareat ex minore aetate in maiorem transcendisse.* Quod ipsius concisae dictionis exemplum quam abhorret a laxa illa sententiarum coniunctione, qua inprimis fabularum liber enitet! Sed ut libere dicam, quid sentiam, duo illa verba *in plurimis* risum mihi semper moverunt. Nam quotquot viri docti de hac tam subtili re disseruerunt, alii alias proprietates enumerarunt recedentes a sermone illo puro, Hygini Augustei aetate prorsus indignas. Lange (p. 9) nihil esse arbitratur, cur ex locutionibus e graeco sermone depromptis et vitiis quibusdam in patronymicis commissis Hygini fabulas a grammatico quodam indocto ortas esse statuamus. Cuius equidem perlibenter accederem sententiae, si haec tantum vitia exstarent, evanescerent e vestigio sescenta illa ubique locorum. Sed coacervatis nonnullis, ut aiunt, mendis, quae alius aliter detexit, enumeravit, iam magna oritur summa proprietatum, ut sermo fieri vix queat de nonnullis, quas auctori illi condonare non vereamur.

At mutilatus exstat Hygini liber fabularum et temporum iniuria depravatus et, ut praecipue ad scholarum usum accommodaretur, in hanc compendii formam redactus. Difficile primo quidem obtutu videtur esse ad id respondere, sed tamen est certum, quid respondeam. Sit mutilatissimus liber ille manu scriptus, omnia vestigia Hygini periisse, nusquam Hygini verba deprehendi dicere audebis? Sit ex multis et variis partibus compositus, neglegentem tamen et plurimis

---

[9] Bunte, p. 9 sq.

partibus communem tenorem sermonis ac proprietates omnibus partibus immixtas quis e medio tollere potest? Est autem sermo tam miser tamque plenus mendorum cuiuslibet generis atque discrepantiarum, vix ut cadat in multam ac praeclaram, qua Hyginus floruit, scientiam et doctrinam, ob quam ei cognomen indiderunt Polyhistori. Quid? qui iam servus doctrina excellens oculos in se convertit Caesaris, illum adeo abhorruisse ab eleganti perpolitoque aetatis suae stilo quis potest sibi persuadere? Hic mihi quisquam nominat grammaticum? *Hyginus ille ab omnibus ob profundam doctrinam non sine verecundia laudatus omnino seiungendus est ab eo, cuius nomine hae fabulae circumferuntur.* Quarum quis auctor fuerit, adfirmari non potest, nec fore arbitror, ut certum umquam huic quaestioni lumen accedat.

Atque ut hoc loco dicamus, quid ipsi iudicemus de reliquis scriptis, quae nomen prae se ferunt Hygini, genealogiae, quas in nostris editionibus excipiunt fabulae, eidem atque Poeticon Astronomicon libri auctori nescio an Hygino debentur. Quamquam ne hoc quidem pro certo adfirmare audeam fuisse hunc Hyginum Augusteum. Quod cum dicimus, rationem habemus argumentorum, quae contra Buntium supra de praenomine ac nomine gentili Hygini protulimus. Id autem nobis quidem persuasum est[10], omnino secernendum esse ab Hygino Augusteo auctorem libri fabularum.

Micyllo et Buntio non omnes fabulas genuinam formam prae se ferre, sed temporibus decurrentibus ab epitomatore quodam in hanc compendii formam redactas esse coicientibus id respondebo, sententiam eiusmodi certe in genealogias, quales exstant, cadere, minime in fabulas, quae in universum integrum produnt argumentum, quarum corruptelae quae putantur nullum resipiunt epitomatorem, sed ad sermonis tantum pertinent proprietates aut stilum mirum in modum conformatum. Quas in omnibus libri partibus reperiri dicendum est. Et non quo nonnullas huius libri partes exstare negem, quarum stilus, ut ita dicam, venustate quadam decurrit neque laxam illam aut sermonis vulgaris propriam exhibet enuntiatorum coniunctionem, sed quod ne hae quidem partes vacant proprietatibus illis sermonis, suspicio incidit mihi de huius libri auctore. Qui utrum item Hyginus appellatus sit ideoque ob nominis propinquitatem locum obtinuerit post genealogias argumentum continentes a fabulis ipsis haud ita alienum, an alter nescio quis fuerit, cuius liber ob argumenti propinquitatem

[10] Qua in re succurrimus Stavereno et Bursiano fabularum auctorem cum Hygino Augusteo minime confundendos esse censentibus; quamquam quae ratio inter singula scripta quae exstant Hygini intercederet, omnino non curarunt nec suum de fabulis ipsis iudicium gravioribus argumentis comprobarunt. Cf. Fr. Unger, 'Der sog. Corn. Nepos', k. Bayer. Akad. d. Wiss. I. Cl. XVI, I, quae disputatio separatim edita est Monachi 1881, p. 67.

vel alio quodam casu huc irrepserit, in medio relinquam[11]. Rationem autem necessariam, ut de auctore dicamus, inter genealogias certe mutilatissimas et Poeticon Astronomicon libros intercedere oportere ut credamus, verbis permovemur Hygini ipsius, qui poet. astr. II, 12 haec scribit: de quo in primo libro Genealogiarum scripsimus. Quam ob rem genealogias, quales exstant mutilatae multumque corruptae, ex opere illo excerptas esse statuimus, fabulas vero quae sequuntur ab Iulio Hygino abiudicandas esse censemus. Quod cum statuimus, miros illos ac singulares respicimus barbarismos, novas illas voces, quae ex hortulo fluxere hominis ab aetate Augustea alienissimi, enuntiationes ineleganter, ut non dicam, perverse absque ulla arte inter sese iunctas.

Nec nobis desunt argumenta, cur fabulas et Poetica Astronomica ab uno eodemque auctore orta esse negemus. Quamquam liber, quem supra commemoravimus, Langii sententiae contrariae inservit explicandae. Nam praeterquam quod sermo, qui in Poeticon Astr. libris deprehenditur, per se haud ita elegans multo tamen praestat sermoni fabularum vitiis omnis generis abundantium, in singulis vocibus iisque satis usitatis adhibitis aut spretis mirum quantum inter utrumque librum discrimen intercedit, veluti vocabulum *statim* in Poet. Astr. duodevicies, in fabulis ne semel quidem reperitur, coniunctio *ne quidem* ter legitur in Poet. Astr., in fabulis omnino desideratur[12]. Quid, quod ex hac una re utrumque opus variis scriptoribus deberi evincere Grossmanus[13] studet? Quamquam sermonis inter utrumque opus discrimen dignum est, quod singulari quaestione demonstretur. Quare hoc loco praetermittendum duco particulam *quidem* in libris de Astronomia quinquies, in fabulis ne semel quidem inveniri, coniunctionem *autem* in unaquaque Poet. Astr. pagina identidem, in fabulis ne uno quidem loco scriptam videri. Unde

---

[11] Nec Teuffelius l. c. praeeunte Micyllo genealogias, quae fabulis praefiguntur, ex alia et genuina genealogiarum forma excerptas esse non potest iudicare; a cuius nos ita recedimus sententia, ut, cum ille fabulas ipsas cum genealogiis quodammodo cohaerere putet, id nos omnino negemus. Unde fit, ut eo magis refutemus oporteat coniecturam Schmidtii (p. 27 sq.) tres cum ipsis genealogiis huius libri partes statuentis, quarum una *genealogias deorum heroumque* contineat *stilo horridiore conscriptas*, altera *populares Graeciae fabulas scitu dignas*, tertia *ad humilius dicendi genus reversa* enumeret, *quaecumque libri secundi singulae historiolae communia habeant, ut iterum memoriae inculcentur*.

[12] Singulares casuum obliquorum substantivi *Iupiter* formas, quae sunt *Iupitris, Iupitrem, Iupitre* iam Neue I, p. 190 in antiquioribus quibusdam Poet. Astr. editionibus inveniri nos docet; ablativum *Iupitre* ab fabularum auctore ignoratum Poet. Astr. codex Frising. exhibet, quem contra Buntium Heydenreichius ('Die Hyginhandschrift der Freiberger Gymnasialbibliothek', Progr. Freiberg 1878, p. 23 sq.) servandum esse censet et ipse Buntio diffidens omnes ad tales res diiudicandas libros accurate conferri iubet.

[13] Cf. Großmann 'de particulis *ne quidem*', Progr. Allenstein 1884, p. 16.

Grossmannus l. c. utriusque scripti eundem esse auctorem non ita certum esse colligendum statuit[14].

Sed ut ad fabulas redeamus, ipsa haec, quae fabularum auctorem respicit, quaestionis pars iam haud ita magni esse mihi videtur: textum, quoad eius fieri potest, rectius constituere, refutare coniecturas, quas viri docti multas protulere obstupefacti plebeio sermone, miris quibusdam constructionibus, barbarismis, cum locos minime curarent simillimos aut eadem ratione conformatos, haec mihi videtur esse summa totius quaestionis. Neque tamen equidem facere potui, quin quaestionibus de fabularum sermone institutis ipsum librum ab Hygino Augusteo abiudicarem. Quacum sententia si quis consentiet, gaudebo, sin dissentiet, id mihi saltem benigno animo concedat, proprietatibus sermonis collectis et iuxta se positis arti criticae factitandae firmiora quaedam praesidia suppeditari.

Iam accedamus ad sermonem ipsum inquirendum. Quem cum supra iudicaverimus alienum esse ab aetate Augustea, ne in praefatione illa vanam operam subiisse videamur, ante omnia de vocabulis verba faciamus Hygino soli peculiaribus, quae ab eo ficta sunt aut primum ex lingua graeca desumpta aut apud alios posteriorum vel priorum temporum scriptores raro inveniuntur. Nomine enim auctoris deficiente atque aetate aut in dubium vocatis ipsa vocabula optime aetatem, qua ille floruit, non posse non referre clare patet. Quamquam nos quidem satis habebimus demonstrasse iam nullo pacto unquam de Hygino Augusteo sermonem fieri posse. Quibus vocabulis collectis et explanatis de reliquis sermonis rationibus certo quodam ac solito ordine disputabimus.

Quas novas vel rariores voces adhibuerit Hyginus[15].

Iam percenseamus singulas novas voces ab Hygino, ut videtur, ipso confictas easque ita, ut praemittamus, quae apud illum solum leguntur, deinde perlustremus, quae ex eius usu posteriorum temporum scriptores delibarunt.

---

[14] Utrumque scriptum ab eodem auctore profectum esse iam Bodium negasse supra indicavimus; cui, cum suspiciones tantum moveret neque quidquam confirmaret, optimo iure Lange vitio vertit, quod sententiam sine ulla ratione proferret.

[15] Cf. Meletematum lexistoricorum specimen conscripsit *C. Paucker*, Dorpati 1875. Paucker primus voces illas novas Hygini conquirere est conatus neque tamen rem absolvit; nam praeterquam quod nonnulla eum fugerunt verba, quae, ut promisso (p. 17) staret, adferre debebat, graeca omnino neglecta sunt verba, quae fabularum scriptor civitate Romana donavit; ex quibus ille unum verbum 'commeletare' commemoravit (p. 18).

In earum autem numerum, quae apud Hyginum solum reperiuntur, has referendas esse ducimus:

Clipeolum[16] 139 (17, 10)[17], *compastor*[18] 187 (119, 4), *fulgitrua* 183 (36, 3), *velificium* 277 (153, 13), *aprineus* 69 (77, 2). Refutandum esse censemus adiectivum *apiacius* 74 (79, 18), quam formam veteres editores secutus Roenschius (p. 123) comprobavit, Schmidtius suo iure in *apiacus* convertit, quippe quod comprobetur auctoritate codicis F. De adiectivo autem *apiacus* paulo infra sermo esto. Iam verba sequuntur: *abiurgare* 107 (97, 18), *deoptare* 191 (122, 12). Nescio, quid causae fuerit, cur Schmidtius contra omnium librorum auctoritatem simplex verbum optandi restituerit. *Donificare* 112 (99, 19), *expavefacere* 47 (72, 12), *stramentari* 14 (48, 5).

Haec autem rarissima, quae Hyginus usurpavit vocabula, alii quoque cum eo communicarunt: *triscelum*[16] 276 (152, 8) Isid. 20, 4, 14, *sybotes* 126 (110, 3) Manil. 5, 126, *conlactius*[19] 224 (132, 7) Iuven. VI, 307, C. I. L. VI. 3. n. 16057.

Iam vero accedamus ad eas voces enumerandas, quibus omnibus fere caret aurea illa latinitas; quae universae raro apud singulos scriptores occurrunt eaeque prisco aut poetico sermoni aut argenteae latinitati aut scriptoribus ecclesiasticis sunt peculiares: *nuptus* 257 (142, 13) (Varr., Gell., Stat., Aur. Vict.), *iaculator* 14 (46, 26) (poetae, Liv., Sen.), *aurifodina* 14 (46, 20) (Plin., Gai. dig.), *interfectrix* 122 (105, 7), (Tac., Augustin., Cael. Aur.), *adamanteus* 22 (53, 8) (Ov., Manil.), *apiacus* 74 (79, 18) (Cato apud Plin.), *trimembris* 30 (64, 21) (Corp. inscr. lat. 4, 2440, Augustin. music. 4, 36), *cogitabundus* 220 (130, 2) (Gell. 2, 1, 2, Firm. math. 5, 5), *laetabundus* 119 (103, 7) (Gell. 11, 15 extr., Hier. ep. 123, 11, Vulg. Iesai 35, 2, Mart. Cap. 1, 23). Praeterea adferre nobis liceat verbum *circumlavare* 276 (152, 6), quamquam circumlauendi forma iam Sallustius Hist. fr. 2, 83 est usus; denique *condormire* 125 (108, 20) (Suet., Capit. Ver.), *exenterare*[20] 30 (64, 7) (Plaut., Lucil., Plin., Iustin.), *inhabitare* 14 (45, 12) (Ov., Senec. epist., Petr., Apul., Tert., Aur. Vict.), *velificare* 277 (153, 14) (Prop., Iuven., Plin.).

---

[16] Hoc vocabulum deest apud Roenschium: Itala und Vulgata[2].

[17] In singulis fabularum locis adferendis numerus, qui locum excipit, ordinem fabularum respicit omnibus editionibus excepta Schmidtiana communem; at numeri uncis inclusi paginas et versus adponunt editionis, quam Schmidtius curavit, qui transpositione fabularum instituta neque indice adposito, ubi singulae fabulae faciles ad inveniendum essent, nos ita agere coegit.

[18] Mentione dignum videtur ab Eugippio in epistula ad Probam virginem data (p. 2, lin. 11 ed. Knoell) *compastoralis* adiectivum usurpari: *nec immerito vicarii illius — compastoralis officii socium — peramplius dilexerunt.*

[19] De pleniore forma *conlactaneus* consulas velim Roenschium, p. 122.

[20] De scriptura *exenterare*, cuius in locum contra auctoritatem cod. F. Schmidtius formam substituit *exinterare*, cf. velim lexicon[7] a George editum.

Quas ex lingua graeca desumpserit voces.

Immoderata quadam dictio Hygini floret graecorum vocabulorum abundantia. Quod dictionis genus si modeste ille usurpasset, cum ex indole ac natura rerum, quas pertractavit, tum ex fontibus, in quibus versabatur, certe haberet, quo aliqua ratione excusaretur. Quamquam, quoad eius fieri licet, omnes voces graecas evitare[21] summa optimorum auctorum ac suprema lex fuit. Neque ille tales ex graeco sermone deprompsit voces, quae deessent sermoni vere latino aut, ut latine pronuntiarentur, per ambages variarum circumlocutionum exprimendae essent, sed plurima quae posuit vocabula graeca ita sunt comparata, ut in locum eorum facile notiones substituere potuerit vere latinas. Id autem eum re vera facere potuisse ex eo intellegitur, quod, ut exemplum adferamus, ex vocabulis triginta quinque commemoratu dignioribus octo ille latine interpretatus est. Quamquam ipsis his octo locis mirum quantum libidinose se gessit, cum nonnullis eorum interpretationem latinam adiunxit, quae, cum per se ipsa facilia essent ad intellegendum, carere omnino potuerunt, alia, quae ex graeco sermone audacter confinxit, sine ulla interpretatione posuit. Quam ob rem ratione quadam ac via graeca illa vocabula eum usurpavisse equidem negaverim; et nescio an ille, quem omnia dicendi genera confuse et permixte exercuisse demonstrabimus, licentiore quodam studio ductus remotissimum quidque petendi plurima illa vocabula graeca sermoni suo interposuerit. Unde quid quisque colligere possit ad Hygini, quem temporibus nonnulli adsignant Augusteis, aetatem constituendam, fusius explanare nolumus. Id unum addere liceat, si ab uno discesseris, omnia illa vocabula graeca apud Hyginum solum reperiri, nec quemquam, ut in usum suum unum alterumve reciperet, esse instigatum.

Iam ad ipsa vocabula graeca Hygini tractanda redeat oratio. Longum autem est omnia graeca vocabula enumerare, quae auctoritate optimorum scriptorum in civitatem Romanam ascita, aucta opera scriptorum argenteae latinitatis Hyginus quoque suae potestatis fecit. Quae ille primus posuit permulta, haec percenseamus. Et ipsa quidem in duas partes distribuamus, quarum altera vocabula includat, quae apud Hyginum solum scripta leguntur, altera contineat unum illud vocabulum, quod unus e posterioribus scriptoribus assumpsit.

Priori igitur parti haec tribuenda sunt vocabula: *chalcidicum*[22] 184 (116, 24), *acropodium* 88 (85, 7), *oenus*[22] 129 (112, 12), *mnester* 126

---

[21] Cf. Krebs-Schmalz[6]: Antibarb., p. 31 sq.

[22] Deest in lexico a George edito.

(110, 21), *myrmex*[22] 52 (58, 23)[23], *ortyx*[23] 53 (59, 1)[24], *pitulus*[25] 14 (49, 13), *mantis*[22] 190 (121, 6), *toecharchus* 14 extr. (49, 11), *Utis* 125 (106, 23), *atrotus* 28 et 30 (57, 7—64, 2), *biprorus* 168 et 277 (31, 15—153, 15), *longodes*[22 23] 192 (123, 14)[26], *monocrepis*[23] 12 (43, 15), *lychniticus*[22] 223 (131, 2), *chrysomallus*[22] 188 (120, 1), *commeletare*[27] 165 (19, 7).

Sequitur vocabulum, quod supra commemoravimus, *sybotes*[23] 126 (110, 3) (cf. Manil. 5, 126).

Agmen autem claudant vocabula graeca, quae universa raro usurpata orationi suae Hyginus inierspersit: *cataclysmus*[22] 153 (26, 17), Ampel. 2, 11, Lact., Tert., Augustin., Cael. Aur. chron., *lycos* 176 (30, 15) Plin. 30, 52, *celeuma* 14 extr. (49, 15) Mart., Vulg. Ierem., Sidon. ep., *philtrum* 34 (67, 3) Ov. art. am. 2, 106, Iuven., Apul. apol. 30 extr., *philyra*[23] 138 (16, 12) (Hor., Plin., Ulp. dig., Mart. Cap.,), *pyra* 36 (67, 23) Verg., auct. b. Afr., Vitruv., *Oceanitis* 154 (27, 7) Verg. ge. 4, 341, *petra* 169 (32, 10) Enn., Laev. fr., *proreta* 14 (49, 10) Plaut. Rud. 10, 14, *aegoceros* 196 (126, 2) Lucr., Lucan., *lynx* 259 (144, 4) Verg., Plin., Suet. fr., Stat..

De substantivis mobilibus in — tor et — trix exeuntibus.

Plurima horum substantivorum, in quorum usu in universum parcius Hyginus, scriptores posteriores uberius et audacius versati sunt, ille ex optimae latinitatis scriptoribus in usum suum convertit, quamquam novavit substantivum *compastor* 187 (119, 4), de quo supra diximus. Iam singula quae usurpavit commemoratu digniora percenseamus: *adiutor* 30 (64, 14), *coniector* 91 (87, 4), *cursor* 14 (46, 24), *ductor* 71 (75, 1), 68 (75, 2), *educator* 8 (42, 6), *iaculator* 14 (46, 24), *interfector* 184 (116, 23), *nutritor*[28] 273 (147, 1); — *bellatrix* 193 (124, 4), *interfectrix*[28] 122 (105, 7).

---

[23] Hoc vocabulum sequitur interpretatio latina.

[24] Cum latina graecae vocis ὄρτυξ forma potius existimanda sit: *ortyga* (cf. Th. Prisc. 4, fol. 315 [b], 3), contra codicem *ortygiam* exhibentem cum Schmidtio eo magis *ortygem* anteponimus, quod in graecis vocabulis depromendis nihil fere Hyginum immutasse exempla supra allata clare docent.

[25] Deest apud Roenschium et Georgem.

[26] Cf. Schmidtii ad hanc vocem adnot. crit.

[27] De hac verborum componendorum ratione, qua ex graeco sermone depromptum vocabulum cum praepos. lat. consociatur cf. Roensch, p. 255.

[28] Cf. Paucker l. c., p. 17; ad vocem *interfectrix* locum ipsum adferre Paucker omisit, quamquam adiecit suppl. lexic. 423.

Verba.

De verbis deponentibus.

Deponentia nonnulla ab omnibus omnium aetatum scriptoribus passiva significatione usurpata esse constat. Ex Hygino haec sunt adferenda: *nancisci* 1 (38, 9) *occasione nacta,* item 8 (42, 2), 120 (104, 6), *persequi* 198 (126, 18) *illa se in mare praecipitavit, ne persequeretur*[29], *polliceri* 100 (93, 17) *cui rex pollicitam fidem praestitit,* 219 (129, 11) *qui hostes uno proelio fugavit et ab rege pollicita petit.*

Tum sermo fiat de verbis nonnullis activis, quibus Hyginus formam induit deponentialem. Sunt autem haec:

Belligerari 274 (151, 9): *Belus, Neptuni filius, gladio belligeratus est.* Forma huius verbi, quod priscae sermonis vetustati adnumerandum est, activa his exstat locis: 41 (70, 1), 79 (81, 11); *certari*[30] 273 (148, 3): *in quibus* (gymnicis) *certati sunt cursu Nestor ..; infestari*[31] 37 (68, 12): *eosque qui itinera infestabantur omnes occidit. Remediare,* quod et activo et deponentiali genere (Scrib., Gargil. Mart., Tert.) paucissimis locis invenitur, ab Hygino 101 (94, 12) transitiva notione usurpatur. Huc referendum duco perfectum illud *reversus est*[32] 131 (113, 14): *posteaquam inde reversus est Liber.*

Priscae latinitatis forma

exstat apud Hyginum exeunte fabula 221 (130, 22): *Cecropiusque Solon ne quid nimis induperabit.* Ex eo autem, quod hoc uno loco priscae latinitatis forma deprehenditur, sententia, quam Schmidtius (cf. adnot. crit.) protulit et Bursian (Fleck. annal. phil. vol. 93, p. 781) comprobavit, septem sapientium sententias, quibus haec fabula continetur, a Demetreo Phalereo Hyginum mutuatum esse eo magis habet, quo commendetur (cf. Brunco act. sem. Erlang. III 299 sq.).

---

[29] De huius loci integritate ne Bunte quidem suspicionem movit. In quo offendens Scheffer coniecit *ne pater persequeretur;* Muncker interpretatur *ut persequeretur, scil. Minoem.* Nec Schmidtius corruptelam quandam hic latere negavit. Equidem nihil cunctans hanc formam Hygino eo magis tribuendam esse censeo, quod mox alias quasdam miras verborum formas cognoscemus, quae non minus vestigia premunt infimae latinitatis. Suo iure iam Roenschius p. 388 *persequeretur* sensu passivo accipiendum esse statuit.

[30] Micyllus coniecit *certarunt;* sed ex ipso, quod tractavimus, verbo belligerandi Hyginum unius eiusdemque verbi formam et activam et deponentialem promiscue adhibere veritum non esse facile tibi persuadebis.

[31] In hac forma, quam optimus liber plane et perspicue exhibet, Schmidtius offendit; sed ipsae tres, quas attulimus, formae depon. inter sese comparatae non possunt non referre veram sermonis Hyginiani proprietatem. An Hyginum ipsum emendandum esse censes?

[32] De hoc usu consulas velim Neue II² 346, Roenschium p. 289. Cf. Wilh. Kalb: Über die Lat. des Juristen Gaius in Woelfflini Archiv. I, p. 89.

De genere verbi.

a) Verba intransitiva transitiva significatione usurpata.

Haec verba, quibus vis inest intransitiva, Hyginus in notionem convertit transitivam: *Conflagrare*[33] 179 (35, 12): *Iovis venit et Semelem conflagravit. Dissuadere* 219 (129, 11): *ille ab amicis dissuasus.* Cf. Neue II², p. 261. *Exulare*[34] 26 (55, 16) *tunc iterum exulatur. Migrare* 259 (144, 2): Lyncus . . . *Triptolemum* . . ., *ut in se tantam gloriam migraret, interimere cogitavit.* Schmidtius nominativum *tanta gloria* eo minus restituere debebat, quod haec transitiva constructio vulgaris sermonis propria his exemplis comprobari potest. *Sil. Rhoeteia regna migrantur in Lybiam superis.* cf. *Augustin. serm.* 88, 9. *Profugere* 277 (153, 15): *Aegyptus fratrem profugit.* Cf. Georges lex., ubi hic locus Hyginianus deest.

b) Verba transitiva, quae significationem induunt intransitivam:

Decantare 194 (124, 15): *Cui* (Arioni Apollo) *dixit, ut ornatu suo decantaret.* Ibid. (paulo infra): *petit* (a nautis), *ut ante decantaret*[35]. *Imprecari* 169 (19, 5): (Minerva) *imprecata est, ut . . .*

Hinc secernenda sunt eiusmodi verba, quorum notio transitiva saepe omisso, quod facile intellegitur, obiecto convertitur in intransitivam. Huc spectat, ut exemplum adferam: 79 (81, 10): *qui a Plutone impetravit eosque incolumes eduxit.* Qui usus, cum apud omnes scriptores late pateat, exemplis adferendis nos supersedere sinit. Neque tamen unum locum non possumus adferre, ubi locutio illa absolute, ut

---

[33] Iusta verbi notio intransitiva reperitur his duobus locis: 154 (27, 9), 243 (135, 23). Schmidtio *Semele conflagravit* scribendum proponenti nihil habemus, quod opponamus nisi optimi libri auctoritatem etiam atque etiam monentes esse Hygini unius eiusdemque vocis formas arbitrio suo variare. Cf. quae de verbis depon. eorumque significatione supra disputavimus et quae de studio illo variandi in omnibus fere huius disputationis paginis exponemus. Schmidtius autem, cum in forma *exulatur* iam tractanda minime offendisset, in hoc quoque usu insolenti bene acquiescere poterat. Ceterum cf. Stat. Silv. V, 2, 120: *Ascanius patri flagrabat Elissam.* Cf. Neue II, p. 341 et Edm. Haulerum: Terentiana, p. 7 sq.

[34] Lange l. c., p. 61: *Exulatum it* rescribendum esse censet, quod Hyginus supini in —*um* exeuntis et eundi verbi coniunctionem saepissime usurpet. Haec observatio, quamquam recte se habet, tamen nihil adfert argumenti ad hunc locum emendandum, nisi quod scriptura *exulatur* adnotationi quam scripsimus antecedenti inservit stabiliendae. Atque eadem vi transitiva hoc verbum apud hos posterioris aetatis scriptores reperitur: *Fulg. Myth.*, p. 609 (*exulata* = expulsa) et III 5 (cf. *Zink: Der Mytholog Fulgentius* II, p. 57), *Victor. hist. Vand.* 2: *fratrem exulavit, Chrysolog. serm.* 2: *quem saturitas exularat, Dict. Cret.* 5, 4: *Antimachum exulandum.* Ex his autem exemplis formae *exulatur* h. l. usurpatae facilius animum induces genus tribuere passivum, id quod Georges quoque comprobavit, quam formam vindicare deponentialem, cui Neue II², p. 284 patrocinatur.

[35] Apud Ciceronem quidem Tusc. III, 22, 53 item intransitiva huius verbi vis reperitur: *sed iam decantaverant.* Quod, cum idem valeat atque *canere desierant*, plane aliam includit sententiam quam quae hoc loco invenitur, ubi *decantare* vim obtinet simplicis verbi canendi.

aiunt, posita nimis nobis videtur esse dura: 166 (20, 9): *Hae* (Cecropis filiae), *cum cistulam aperuissent, cornix indicavit.* Atque etiam absolute usurpatur verbum *pariendi* 66 (72, 10): *Itaque Iocasta Menoecei filia uxor eius cum peperisset, iussit exponi.*

De constructione numeri.

In praeceptis, quae ad convenientiam subiecti et praedicati pertinent, adhibendis Hyginus in universum parum recedit ab usitata dicendi consuetudine.[36] Singula, quae apud optimos scriptores minus sunt frequentia, adferre liceat.

Subiecto singulari numero posito, quod alterum sequitur praepositione *cum* aut alia ratione coniunctum, Hyginus promiscue singularem et pluralem verbi numerum adiungit: 68 (74, 12) *Itaque Polynices . . . cum septem ductoribus Thebas oppugnatum venit. 71 (74, 12): Polynices . . . regnum ab Eteocle patre repetivit cum septem ductoribus et Thebas oppugnarunt. 120 (103, 16): sorte audita cum Pylade navem conscendit (Orestes) celeriterque . . . devenerunt.*

Laxiori, quo utitur Hyg., dicendi generi respondent haec exempla constructionis, quam κατὰ σύνεσιν grammatici vocant; 7 *(41, 8): dolor eam in ipso bivio coegit partum edere. Quos pastores pro suis educarunt. 194 (124, 23): nuntiatur Periandro navem Corinthum delatam tempestate, in qua Arion vectatus fuerat. Quos cum perduci ad se imperasset et de Arione inquireret, dixerunt eum obisse.* Sub voce *quos* Hyginum etiam nautas intellexisse clare patet. Hunc si respexeris locum, minus difficultatis deprehendes 148[37] (22, 6): *Ex eo conceptu nata est Harmonia, cui Minerva et Vulcanus vestem sceleribus tinctam muneri dederunt, ob quam rem progenies eorum scelerata exstitit. Eorum* scribentem simul Harmoniae maritum in animo Hyginum habuisse et ad rem magis quam ad verba attendisse iam Scheffer[37] recte docuit; idem locum adicit 120 (103, 16), quem eo minus immutare debebat Schmidtius, quod in eo, quem modo praemisimus, plane non offendit; est autem hic: *sorte audita cum Pylade navem conscendit (Orestes) celeriterque ad Tauricos fines devenerunt; quorum fuit institutum . . .* Schmidtius restituit

---

[36] Leges illas, quae sunt de constructione generis et numeri, Hyginum plurimis locis observasse ex his exemplis colligi potest: 2 (38, 24): *Rex uxorem suam et filium eius dedit necandos*; 63 (62, 4): *vidit mulierem cum infante, quos . . .* Quid quod horum ille praeceptorum adeo habet rationem, ut duobus subiectis, quae particulis *neque — neque* inter se iunguntur, verbi pluralem numerum adnectit, qui hac in re Draegero (Historische Syntax der lat. Sprache I², p. 178), omnino videtur esse necessarius: 51 (58, 11): *cum neque pater neque mater mori voluissent.*

[37] Falso Scheffer 149 adfert, cum ad priorem locum explicandum hunc commemorat, cf. Staveren, p. 29.

Tauros omissa, quae sequitur, voce *fines*; Bunte *Taurorum* exspectat. Neutra mihi placet sententia. Hyginum ad sensum verba construxisse existimamus.

De numeralibus.

In numeralibus usurpandis pauca exhibet Hyginus aliqua proprietate memorabilia, quae ab optima scribendi norma discrepant.

Unus cum genetivo partitivo (Draeger I², p. 458 sq.) Hyginus consociat 46 (71, 23) *si una earum mortem obisset;* quamquam indulgens studio illi variandi iustum quoque ac legitimum dicendi usum recipit 165 (19, 7): *unus e satyris.* — Idem voci *unus* usum vindicat, qui debetur pronomini *alter,* cum scribit 12 (43, 16) *uno pede calceatus,* 13 (44, 8), *ut Iason unam crepidam in limo relinqueret.* Tum a recta norma alienus est usus numeralis ordinalis *primus,* quod significatione gradus superlativi indutum comparativi vicibus apud Hyg. his locis fungitur: 164 (18, 4) *Inter Neptunum et Minervam cum esset certatio, qui primus oppidum in terra Attica conderet...* ibid. *Minerva quod primum in ea terra oleam sevit... secundum eam iudicatum est.* Circumscripsimus his exemplis numeralium usum Hygino peculiarem.

Iam vero sermo fiat

de pronominibus,

quorum rationes apud Hyginum aliquanto plus a recto solitoque usu recedunt.

Ac primum quidem observationem proferamus factam in pronominis possessivi usu, quo Hyg. vocabulis adponit pronomina possessiva, ubi ex nexu sententiarum facile omitti possunt: 40 (69, 18) *Daedalus pennas sibi et Icaro filio suo fecit.* 47 (72, 6) *Phaedra, Thesei uxor, Hippolytum privignum suum adamavit.* Paulo infra: *Theseus re audita filium suum moenibus excedere iussit.* 73 (78, 18) *Adrastus... monile aureum muneri dedit sorori suae Eriphylae...* ibid. *Alcmaeon Eriphylen matrem suam interfecit.* 175 (30, 6) *Agrium egentem e regno expulit atque Oeneo avo suo regnum restituit.*[38] Significanter praepositum est pronomen possessivum: 45 (71, 6) *Prognen suum diem obisse dicit,* i. e. Pr. naturae satisfecisse, quem usum ceteri quoque scriptores probaverunt.

Priusquam vero **de peculiari pronominis reflexivi usu** verba faciamus, uno verbo locum illum tangemus, ubi ad reflexivam quam

[38] Adiungere nobis liceat hoc exemplum: 145 (24, 19) *Iovis formam suam ei propriam restituit.* Contra 27 (56, 12) *imprudens filium prodidit* iure quodam pronomen *suum* desideratur.

dicunt vim exprimendam loco pronominis reflexivi repetitio fit eiusdem substantivi, quod ipsum in enuntiato primario antecedente subiecti partes agit: 46 (72, 1) *Neptunus, ne filii sui morte Erechtheus laetaretur, expostulavit, ut eius filia Neptuno immolaretur.*

Ipse autem usus pronominis reflexivi veram sibique constantem exhibet indolem sermonis Hygini fluctuantis inter varias constructiones easque promiscue iuxta se positas.

Distinguit Hyginus inter pronomen reflexivum et demonstrativum cf. 138 (16, 11) *Philyra petit ab Iove, ut se . . . commutaret;* 22 (53, 12) *Iuno . . . rogavit, ut se transferrent*[39]; 179 (35, 8) *ut peteret* (Semele) *ab Iove, ut eodem modo ad se quomodo ad Iunonem veniret,* cf. 34 (66, 22), nec tamen omne, quod ex sinceri sermonis praeceptis inter pronomen reflexivum et demonstrativum in enuntiatis obliquis intercedat oportet, discrimen abolere veretur, ut alteri alterius locum assignet, utrumque in uno eodemque enuntiato iuxta alterum ponat: 74 (79, 12) *ductores septem . . . devenerunt ad Hypsipylen eamque rogaverunt, ut eis aquam demonstraret. 153 (27, 1) Hi propter solitudinem cum vivere non possent, petierunt ab Iove, ut aut homines daret aut eos pari calamitate afficeret. 84 (83, 3) [Hippodamiam] nulli ideo dabat in coniugium, quod sibi responsum fuit. 44 (70, 24) Minos, quod Daedali opera multa sibi incommoda acciderant, in Siciliam est eum persecutus. 139 (17, 3) quod (Saturnus) sciret, siquis ex eo natus superesset, fatum esse, ut*[40] *se regno privaret. 19 (52, 1) Huc cum Argonautae devenissent et eum (Phineum) iter ut demonstraret rogarent, dixit se demonstraturum, si eum poena liberarent. 80 (82, 2) tunc deprecatus Pollux . . , ut liceret ei munus suum cum fratre communicare.*

Nec pronomini *ille* sua ubique vis ac ratio tribuitur. Nam cum *ille* ad remotius aliquid, *hic* ad propius referri soleat, apud Hyginum saepe deprehenditur *ille*, ubi facile exspectes *hic: 148 (22, 2) Vulcanus . . . catenam . . . circa lectum posuit, ut Martem astutia deciperet. Ille cum ad constitutum venisset,* ibid. *Id Sol cum Vulcano nuntiasset, ille eos nudos cubantes ut*[41] *vidit, deos omnes convocavit. 140 (18, 2) Latonam ventus Aquilo sublatam ad Neptunum pertulit, ille eam tutatus est. 15 (50, 17) Lemniades autem postquam rescierunt Hypsipylen patrem suum servasse, conatae sunt eam interficere; illa fugae se mandavit; hanc praedones Thebas deportarunt.* Ex hoc loco Hyginum nullo facto discrimine haec pronomina de una eademque persona usurpasse facile tibi persuadeas. Quid? quod, cum de duabus et variis personis sermo fiat, utramque promiscue in eodem enuntiato pronomine *ille* Hyginus designat: 174 (29, 15) *quem* (aprum) *Meleager . . . interfecit pellemque*

---

[39] Versus 10—13 ut spurios eliminari iubet Schmidtius.

[40] Sic locum quodammodo Schmidtius sanavit.

[41] *ut* suo iure Burs. in textum inseruit, quod nos ante *ille* poni malimus.

eius ob virtutem Atalantae virgini donavit. Illa cum Meleagri fidem implorasset, ille intervenit. Quae cum ita sint, nescio an non recte Schmidtius 139 (17, 5) *qui cum Opem rogaret, ubi esset, quod illa peperisset, illa lapidem involutum ostendit* prius *illa* secludi iubeat, quamquam hoc loco de una eademque persona agitur. Nos quidem miramur hanc rationem Schmidtii, qui contrariam, quae nobis omnino probatur, ipse 40 (69, 11) ingressus est, ubi locum, qui vitium sine ullo dubio traxit[42], hoc modo restitui iubet: *ob id Venus amorem infandum illi (Pasiphaae) obiecit, ut taurum illa amaret.*

Solet autem Hyginus unum idemque pronomen sive *ille* sive *hic* sive *qui* singulis sese excipientibus enuntiatis praefigere. De pronomine *hic* cf. 140 (17, 13): *Python Terrae filius draco ingens. Hic ante Apollinem ex oraculo in monte Parnasso responsa dare solitus erat. Huic ex Latonae partu interitus erat fato futurus. Eo tempore Iovis cum Latona Poli filia concubuit. Hoc cum Iuno resciit* . . . Inaudite, ut non dicam, illepide atque ineleganter pronominis relativi, de quo suo loco sermo fiet, usus hoc modo cumulatur 169 (32, 7): *Quae dum quaerit, lassitudine obdormiit; quam Satyrus violare voluit, illa Neptuni fidem imploravit; quod cum Neptunus fuscinam in Satyrum misisset, illa se in petram fixit, Satyrum Neptunus fugavit. Qui cum quaereret in solitudine a puella, illa se aquatum missam esse dixit a patre. Quam Neptunus compressit. Ex qua compressione natus est Nauplius. Pro quo beneficium ei tribuit iussitque eius fuscinam de petra educere; quae cum eduxisset, tres silani sunt secuti. Qui ex Amymones nomine Amymonius fons appellatus est.*

Pronominis demonstrativi **is**

proprietates angustis finibus circumscribuntur. Dicendum enim est Hyginum, quae est eius consuetudo praecipue pronomina demonstrativa largiter ponendi, pronomen *is* contra morem optimorum scriptorum adhibere, cum nomen, ad quod refertur, praecedat in eodem casu positum: 171 (28, 3) (Althaea) *titionem extinxit et eum in media regia obruit. 219 (129, 16) arbitris remotis Archelaus regem arreptum in foveam coniecit atque ita eum perdidit. 164 (18, 18) quod Mercurius Iovis iussu id ne faceret prohibuit.* Praeclarum autem huius usus exemplum locus exhibet 110 (99, 5): *itaque Danai Polyxenam Priami filiam, quae virgo fuit formosissima, propter quam Achilles, cum eam peteret et ad colloquium venisset, ab Alexandro et Deiphobo est occisus, ad sepulcrum eius eam immolaverunt.* Quod si quis Hyginum nomen, ad quod *eam* refertur, nimis remotum hoc pronomine excipere voluisse dicat relegans nos ad usum ne ab optimis quidem scriptoribus hac in re nonnumquam alienum, ei hoc ipso loco Hygini eo magis fuisse respon-

[42] Cf. Schmidtii ad h. l. adnot. crit.

deamus omittere pronomen *eam*, quod idem pronomen *eius* proxime adstat atque ipsum aliam personam significat. Debebat igitur Hyginus, ut puro sermoni satisfaceret, *eam* plane omittere aut pro *eius*, quod antecedit, *illius* usurpare. Sed veram pronominis *ille* vim ac rationem Hyginum iam fugisse supra commemoratum est; hoc loco eum pronomina *eius* et *eum*, quae varias personas exprimunt, iuxta se ponendo etiam in praeceptis artis latine scribendi peccavisse dicendum est.

Nec miraberis in contrarium vitium illum incidisse. Nam qui, uti modo demonstravimus, pronomen *is* ponere non dubitat praeeunte nomine, ad quod pertinet, in eodem casu posito, idem omittere non veretur, cum nomen, ad quod referendum est, praecedat plane alio casu positum 179 (35, 7): *Iuno . . . ad eam (Semelen) venit et persuasit.* Quare 150 (25, 6) *Iuno . . . Titanos hortatur . . ., Iovem ut regno pellant Saturnoque restituant* ratione habita illius usus nihil mutandum aut inserendum esse censemus. Bursian enim *Saturnumque* coniecit, *Saturnoque regnum restituant* malit alius coll. 175 (30, 6): *Agrium egentem e regno expulit atque Oeneo avo suo regnum restituit.* Quo loco, quamquam eum recte Hyginus conformavit, tamen nos commoveri posse negabimus, ut emendemus eum, de quo agitur. Nec supra animum induximus post *persuasit* pronomen *ei* inserere. Variare orationem Hyginum nec sibi constare etiam atque etiam monendum est.

Vulgari autem sermoni, cuius tenor neglegentius decurrit, certe ille pronominum demonstrativorum usus adnumerandus est, quo, licet communis duobus enuntiatis exstet persona, non apte et congruenter stilo, quem dicunt, latino pronomen demonstrativum semel et initio enuntiati primarii ponitur, ut facile in secundario, ubi subiecti vices obtinet, desiderari possit, sed ipsum utrobique reperitur: 150 (25, 7) *hi cum conarentur in caelum ascendere, eos Iovis in tartarum deiecit. 67 (73, 8) idem cum Delphos iret, obviam ei Oedipus venit.* Haec duo exempla attulisse sufficiat ex tanta frequentia locorum, quibus adamatam illam constructionem adhibere est solitus.

Pronomen relativum

Hyginum in deliciis mirum quantum habuisse supra (p. 17) exposuimus, cum multa deinceps protulimus enuntiata a pronomine relativo initium capientia. Quae observatio cum alliis tum hoc exemplo comprobari potest: 23 (53, 23) *qui cum in Adriatico mari eam persecutus esset ad Alcinoum regem . . ., Alcinous se interposuit, ne bellarent. Quem iudicem sumpserunt. Qui eos in posterum distulit. Qui cum tristior esset . . ., dixit se iudicem sumptum. Quem cum interrogaret Arete . .* cf. 170 (32, 8), 165 (19, 6).

Nec contrarii criminis Hyginus absolvi potest, qui locis quibusdam coniunctionem enuntiatorum adhibet demonstrativam, ubi omni ratione praeferenda est relativa, veluti 53 (59, 2) *eamque in*

mare abiecit et ex ea insula est enata. 23 (54, 3) Arete mittit nuntium ad Iasonem et is Medeam . . . devirginavit.

Alteram pronominis relativi proprietatem exhibet Hyginus praeeunte Caesare, cum substantivum praecedens, ad quod relativum refertur, in enuntiato relativo repetitur, quamquam haec observatio maxime cadit in substantiva *res, locus, dies*. Quem usum mirum in modum Hyginus amplificavit[43]: 140 (18, 4) *in insulam eam Ortygiam detulit, quam insulam fluctibus cooperuit.* ibid. *ludosque funebres ei fecit, qui ludi Pythia dicuntur.* ibid. *At Neptunus insulam Ortygiam in superiorem partem retulit, quae postea insula Delos est appellata.* 164 (18, 19) *Minerva . . . oppidum Athenas condidit, quod oppidum . .*; 145 (24, 16) *At Iuno coegit eam (Io), ut se in mare praecipitaret, quod mare Ionium est appellatum.* Quae cum ita sint, non est, quod Munckero, quem Bunte sequitur, auctore quidquam immutemus 170 (34, 4), ubi reperitur: *qui cum Danaus perisset.* Nobis placet ratio Wopkensii suo iure hanc verborum collocationem defendentis. Neque ideo ex iis, quae de hoc usu praemisimus, ulla ratione probare possumus sententiam Schmidtii, qui 29 (63, 15) *qui cum Amphitryon in regiam intrasset* nomen *Amphitryon* ut spurium secludendum esse censet. Verum hoc utrumque nominis proprii in enuntiato relativo exemplum proprietate illa, quam significavimus, satis superque fulcitur.

Altera Hygino peculiaris est ratio enuntiata relative coniungendi, cui inserviunt locutiones *quod cum, quod postea*[44]: 166 (19, 17) *Iuno cum sedisset, subito in aëre pendere coepit; quod cum ad Vulcanum missum esset . . . 140 (18, 5) quod cum Python eam non invenisset, Parnassum rediit. 146 (20, 25) Pluto eam rapuit. Quod postea Ceres ab Iove impetravit, ut . . .* cf. 63 (62, 6), 169 (32, 9), 52 (58, 20) al.

Praepositionem *cum* pronominibus personalibus et relativis Hyginus et praefigit et postponit: 30 (64, 15) *cum quo,* 31 (65, 5) *secum.*[45]

Iam cum de pronomine relativo et demonstrativo ad sensum constructo supra dixerimus (p. 14), ad aliam et nimirum singularem pronominis relativi proprietatem accedamus tractandam. Quod ab Hygino oratione decurrente, ut graeco verbo utar, ἀνακολούθως ita usurpatur, ut vi demonstrativa collocetur[46]: 21 (52, 17) *Qui cum casus suos exposuissent Iasoni, se cum ad avum festinarent Athamanta ire naufragio facto ibi esse eiectos, quos Iason receptos auxilio iuvit.*

---

[43] Cf. Kalb l. c. p. 84, cuius observationes in hoc usu factas nos de Hygino exemplis supra adferendis explemus.

[44] Hanc observationem primus *Reisigius* Hygino vindicavit in libro illo *Vorlesungen über lateinische Sprachwissenschaft,* qui *Schmatzio* et *Landgrafio* curantibus denuo publici iuris factus est Berolini 1888, cf. III, p. 107.

[45] De hoc usu fusius disputavit *Greef,* Philol. vol. 32 p. 711—724.

[46] Nec dissimili ratione in tali usu *Fulgentius* versabatur. cf. II 13 *Responso accepto, caput sub undas subderet, quo facto Pactolus arenas aureas trahere dicitur.* cf. *Zink* l. c., p. 46.

Pronomen *quos,* Zinkio (cf. adnot. 45) probatum, Schmidtius in *propinquos* mutari iubet. At loci, qui sequuntur, omnem mutationem supervacaneam esse docebunt, cum haec vera sit sermonis Hyginiani proprietas: 28 (57, 7) *Hi cum Dianam comprimere voluissent, quae cum non posset viribus eorum obsistere, Apollo inter eos cervam misit.* Neque ab hoc usu alienus mihi videtur locus 219 (129, 9) *Archelaus, quia ab Hercule esset oriundus (nam Temenus Herculis*[47] *filius fuit) qui hostes uno proelio fugavit et ab rege pollicita petit.* Item huc referendum esse puto 34 (66, 22) *Nessus .. Centaurus rogatus ab Deianira, ut se flumen Euenum transferret, quam sublatam in flumine ipso violare voluit.*

Haec de pronomine relativo ἀνακολούθως usurpato.

Iam hunc pronominis relativi usum tam insignem tamque profusum observationes nonnullae excipiant

de pronomine interrogativo

institutae.

Pronomen interrogativum *quis* pro *uter* reperitur 75 (79, 23) *inter Iovem et Iunonem fuit iocosa altercatio, quis magis de re venerea voluptatem caperet, masculus an femina.* Quamquam hic usus apud alios quoque scriptores passim invenitur (cf. Draeger I² p. 103). Rarius autem in pronominis *uter* locum substituitur relativum *qui:* 144 (18, 14) *inter Neptunum et Minervam cum esset certatio, qui primus oppidum in terra Attica conderet* .. Atque graecorum in morem plura et vario casu posita pronomina interrogativa iuxta collocantur eaque maxime in titulis, qui singulis fabulis praefiguntur 170 (32, 18) *filiae Danai quae quos occiderunt.* 112 (99, 13) *Provocantes inter se qui cum quo dimicarunt.* 113 (100, 9) *Nobilem quem quis occidit.*[48]

Ut autem

de pronominibus indefinitis

verba faciamus, pronomen *alius,* ubi de duobus agitur puriorque sermonis usus *alter* requirit, legitur 71ᵇ (75, 9) *Eteocles et Polynices .. alius alium interfecerunt.* Neque in pronomine *quisque* adhibendo a firma illa ac stabilita stat sermonis latini ratione, cum 14 (46, 18) scribit: *Lynceus sub terra quaeque*[49] *latentia vidisse dicitur.* Atque in ipso hoc pronomine collocando a stabili usu recedit ac naturae suae indulgens variat in uno eodemque enuntiato 110 (99, 3) *Danai cum .. vellent in patriam suam quisque reverti et praedam quisque sibi duceret.*

---

[47] Lacunam hoc loco Schmidtius indicavit.

[48] De indicativo, qui invenitur in enuntiatis interrogativis obliquis, suo loco sermo fiet.

[49] Africanos Tacito (Ann. 12, 43) semel praeeunte pronomini *quisque* positivum saepius adiunxisse *Sittl* (Die localen Verschiedenheiten der lateinischen Sprache p. 131) nos docet.

Utrum *aliquis* an *quis* antecedente coniunctione condicionali *si* ponendum esset, ex iudicio ac licentia singulorum scriptorum fuisse Draeger I[2] p. 94 docet. Neque Hyginus hac varietate abstinuit, cum scribit 67 (73, 14) *si carmen aliquis interpretatus esset,* 86 (75, 18) *si ex dracontea progenie aliquis interiisset.* Idem iustam dicendi normam sequitur 67 (74, 1) *si quis.* — 13 (44, 6) scriptum videmus: *cum staret . . et id nemo vellet,* ubi sermoni eleganti *neque quisquam* facile respondet.

De temporibus.

In **praesenti historico** usurpando Hyginus in universum severas artis grammaticae leges observavit, quamquam ne hic quidem proprietatibus quibusdam vacavit. Ipsum autem per se ponitur, ut exempla adferamus, 140 (18, 8) *ibi Latona oleam tenens parit Apollinem et Dianam,* 145 (24, 17) . . Qua in re fieri potest, ut eadem sententia decurrente praesens historicum et perfectum tempus inter sese varient: 84 (83, 16), *itaque Myrtilo aurigae eius persuasit regnumque ei dimidium pollicetur, si* . ; *168 (31, 15) At Aegyptus . . mittit filios ad persequendum fratrem et eis praecepit . . 57 (60, 7)* . .

Paucissimi exstant loci, quibus praesens historicum Hyginus cum coniunctionibus temporis *postquam, cum* consociavit: 45 (71, 9) *Postquam autem in Thraciam redit, Pilomelam mandat ad Lynceum regem.* Cum vero enuntiationes praemisit temporales, quibus praesunt coniunctiones supra dictae, in enuntiatione, quae sequitur, primaria, ponere consuevit praesens historicum: 166 (19, 18) *Quod cum ad Vulcanum missum esset, negat se matrem ullam habere.* 168 (31, 15) *At Aegyptus, ut resciit Danaum profugisse, mittit filios;* ibid. *Danaus, ut vidit se iis obsistere non posse, pollicetur eis filias suas uxores;* cf. 23 (54, 3), 37 (68, 11), 63 (62, 10), 140 (17, 16), 23 (66, 5), 150 (25, 5). Neque tamen hoc tam frequenti usu exstante 8 (41, 16 sq.), ubi reperitur *quam pater cum punire vellet, Antigone effugit . . ., parit geminos et reliquit* equidem adstipuler Munckero, qui adprobante Schmidtio perfectum tempus commutavit in praesens, ut scribendum sit *relinquit.* Excipi quidem solere enuntiatum, quod antecedit, temporale in sequenti primario tempore praesenti ipsi docuimus, exemplis comprobavimus, iidem praesens historicum perfecto quoque tempori in una eademque sententia locum concedere posse supra demonstravimus; hoc loco in utraque sibi ratione Hyginum constitisse dicendum est, unde quidquam immutandum esse negamus.

Hunc praesentis historici usum Hygino peculiarem si comprobaveris, emendationes reicies Bursiani, qui contra codicis *F* auctoritatem tribus locis pro praesenti tempore perfectum restitui iubet. Sunt autem hi: 138 (16, 10) *Philyra, postquam invisitatam speciem se peperisse vidit, petit ab Iove . . 139 (17, 1) Postquam Opis Iovem ex Saturno*

peperit, petit Iuno . . 140 (18, 6) quod cum Python eam non invenisset, Parnassum redit. Nec Schmidtius his locis perfectum tempus non desiderat, nisi quod vocum libris traditarum syllabam *it* ex *iit* contractam esse putat ad Neue (II[2] 522) nos relegans, ut ei Bursian emendationibus illis facile supersedere potuisse videatur. Neutram vero sententiam stare posse exemplis supra allatis clare demonstratur.

Iam ad

perfectum tempus

progrediamur tractandum.

Abundans autem omnino graecis structuris ac locutionibus Hyginus, cum ei perfectum historicum inprimis in narrationibus locum obtinere videretur, cui responderet aoristus ille graecorum, viam ingrediebatur circumloquendi, ut ceteras aoristi significationes clariore quadam ratione in sermone latino exprimeret. Itaque perfectum, quod mirum in modum adamavit, *coepi* cum infinitivo coniunxit. Equidem aliam viam video nullam, qua explicentur hae locutiones: 41 (70, 3) *vectigal Minois esse coeperunt,* ubi *esse coeperunt* idem valet, quod *evaserunt,* 166 (19, 17) *Iuno . . subito in aëre pendere coepit,* nisi initium status cuiusdam clarius eum exprimere voluisse statuere malis. Item ille, cum scribit 4 (40, 6) *coepit velle filios eius necare,* distinctius significare sibi videtur initium actionis perfecto tempore incedentis. — Atque etiam *pro verbis incohativis,* quae parce usurpavit, circumlocutionibus eiusmodi utitur. Qui usus dilucide illustrari potest hoc exemplo: 152 (26, 12) *omnia ardere coeperunt.* Ac profecto ignorat Hyginus verbum incohativum ardescendi. Ex magna autem multitudine exemplorum huc spectantium haec eligenda esse duximus: 139 (17, 6) *quod cum sensisset, coepit Iovem quaerere. 140 (18, 2) Python . . (Latonam) persequi coepit, 24 (54, 15) Iason . . cum tot pericula adisset, cogitare coepit,* 26 *(55, 14) Postea sacerdos Medeam exagitare coepit, 9 (42, 12) ipsi ibi regnum obtinere coeperunt, 35 (67, 8) interficere velle coepit,* cf. 168 (31, 18), 29 (63, 16) . . .

Verum de temporibus hactenus; iam sermo fiat

de modorum ratione.

In modis adhibendis Hyginus magna licentia et studio quodam ducitur variandi, veluti coniunctionem *dum* indutam sensu temporali cum modo indicativo aut coniunctivo consociat, coniunctioni *quamvis* modum indicativum adiungit. Atque post unam eandemque coniunctionem, quae duabus enuntiationibus praeest pari dignitate praeditis, sine ullo, quod conspexeris, sententiae discrimine indicativum et

coniunctivum iuxta ponit neque ulli maiori causae nisi studio illi variandi parere videtur[50].

Dum 12 (43, 19) *Iason, dum flumen Euhenum transiret, calceamentum reliquit.* 18 (51, 12) *Argonautae dum apud Lycum morantur et stramentatum exissent.* Immerito autem R. Unger[51] *morantur* in *morarentur* mutari iubet. Nam praeterquam quod de inconstantia ac varietate sermonis Hyginiani diximus, haec modorum varietas egregie comprobatur simili et post coniunctionem *quod* fluctuanti modorum coniunctione, quam paulo infra adferemus. Hic commemorare nobis liceat etiam Fulgentium varietati eiusmodi studuisse[52]: Myth., p. 599 *dum torpor adstringeret*, p. 604 *dum premerem et meterem*, p. 614 *dum quaereret*[53].

Quod 165 (19, 2) *Iuno et Venus cum eam irriderent, quod et caesia erat*[54] *et buccas inflaret* ... 68 (75, 4) *Capaneus quod contra Iovis voluntatem Thebas se capturum diceret, cum murum ascenderet, fulmine est percussus.* cf. 46 (71, 23) ...

Quia 219 (129, 9) *Archelaus, quia ab Hercule esset oriundus, hostes uno proelio fugavit.*

Quamvis 14 (48, 16) *Butes .. quamvis cantibus et cithara Orphei avocabatur, victus tamen est, 14 (46, 11) hic, quamvis praedicentibus avibus mortem sibi denuntiari intellexit, fatali tamen militiae non defuit.*

Postquam[55] 140 (18, 9) *post diem quartum, quam essent nati.*[56]

Cum 140 (17, 16) *hoc cum Iuno resciit* .. simil. 148 (21, 15), 197 (35, 7) coll. 52 (58, 18) *hoc Iuno cum rescisset*, 171 (28, 2) *hoc Althaea mater cum audisset* .. coll. 31 (65, 6) *huius legem cum audiit.*

Adiungamus huic disputationi observationem factam in coniunctione condicionali *si.* Quam significationem nonnumquam interrogativam exhibere passim omnes scriptores comprobarunt. Neque Hyginus hunc usum aspernatus est, cum scriberet 80 (81, 18) *illi arma tulerunt, si possent eas recuperare.* Qua in re notionem quandam, unde enuntiatio interrogativa pendeat, mente intellegendam esse grammatici docent. Neque ullam huius usus mentionem fecissemus, nisi loco cuidam

---

[50] In interrogationibus obliquis, quarum modum recte in universum Hyginus adhibuit coniunctivum, praeter titulos fabularum cf. 113 (100, 9), quos nescio an ab eo profecti non sint, semel a recta norma declinavit: 167 (20, 16) *ut scias, quae voluptas est cum deo concumbere.* Cf. Zink l. c., p. 48, adnot. 1. Coniunctivus in eadem sententia reperitur 179 (35, 9). — Adicere nobis liceat usum particulae *an* his locis: 126 (110, 7) *quem cum pastor interrogaret, an Ulyssem vidisset,* 190 (121, 11) *Leucippe .. Delphos petit, an eorum foret investigatio.*

[51] Cf. Philol. vol. 35, p. 282.

[52] Cf. *Zink* l. c., p. 58.

[53] Cf. *Hartelium*: Lucifer von Cagliari und sein Latein in Woelfflini Archiv. III, p. 51.

[54] Coniecturam, qua Bunte *erat* in *esset* mutari vult, non est, quod pluribus refutemus.

[55] Tempora ipsa cum hac coniunctione consocianda hoc modo variat Hyginus: 41 (70, 5) *Theseus posteaquam a Troezene venerat et audiit,* 37 (68, 5) *postquam redibat.*

[56] Cf. Draeger II², p. 562.

succurrere cogeremur, quem aliter Schmidtius construi vult, atque ipse liber *F* plenus auctoritatis nobis suadet. Est autem 152 (26, 5) *hic Iovem provocavit, si vellet secum de regno certare.* Schmidtius *certaret* in textum recepit. Nos respicientes ad exemplum supra allatum traditam scripturam defendimus, quamquam hunc usum coniunctivi hortativi, qui coniunctione *ut* omnino caret, ab Hygino adamari libenter concedimus.

Pauca nobis videntur esse dicenda

de consecutione temporum.

Temporum in enuntiatione primaria et secundaria convenientiam in universum observavit. Neque 72 (75, 25) *Creon edixit, ne quis Polynicen aut qui una venerunt, sepulturae traderet, quod patriam oppugnatum venerint* Hyginum solito plus declinantem videmus ab argenteae latinitatis usu, quem fusius Draeger I², p. 261 sq. tractavit. Deinde loco illo 14 (45, 7) *quod est numquam factum nec fieri potest, ut quisquam mortalis non posset ferro necari* tempus *posset* perfecto antecedente habere adparet, quo excusetur. Denique, id quod apud praestantissimos scriptores usu venit, item Hyginus praesens historicum sequi iubet duplicem illam temporum consecutionem: 150 (25, 6), 168 (31, 18) *Danaus pollicetur eis filias suas uxores; ut pugna absisterent,* cf. 138 (16, 10).

Accedamus ad tractandas proprietates, quas

infinitivi usus

apud Hyginum exhibet.

Hyginum varias unius eiusdemque notionis structuras adhibere solitum esse satis superque demonstrasse nobis videmur. Item cum post verba movendi supinum in — *um* desinens mirum quantum in deliciis habuerit, tamen iis infinitivum singulis locis adiungere non veretur. Quamquam eiusmodi infinitivi insolentius ex verbis movendi pendentes haud ita recedunt a ratione sermonis latini, cum remotissimi solum ab usu prosae orationis sequantur licentiam poetarum.[57] Adde, quod ad sermonem Hygini tantum valuerunt exemplaria graecorum, vix ut vim atque auctoritatem eorum ulla ratione in ipso infinitivo usurpando subterfugere potuerit. Scribit igitur Hyginus 27 (56, 11) *arbitrans eum patris iniuriam exequi venisse,* 88 (85, 4) *quae dum ad flumen exit sanguinem abluere ...* Attamen, uti supra indicavimus, post verba movendi maximam partem supinum in — *um* desinens ponere consuevit[58]: 165 (19, 1) *Minerva .. dicitur .. ad*

---

[57] Cf. *Schäfler:* Die sog. syntakt. Gräcismen bei d. August. Dichtern. Progr. d. kgl. Studienanstalt Amberg 1883/4, p. 64 sq.

[58] Cf. Paucker l. c., p. 18 adnot. 11.

epulum deorum cantatum, venisse; *169 (32, 7) Amymone missa est a patre aquam petitum; . . illa se aquatum missam esse dixit . . . 63 (62, 7) repetitum eos profectus est.* 45 (71, 4), 68 (75, 3), 72 (76, 1), 84 (79, 7) . . . Quam ob rem 147 (21, 9) non dubitamus accedere Schmidtio, qui Munckero praeeunte pro *propagati* restituit *propagatum*, ut legendum sit: *num fruges propagatum currum draconibus iunctum tradidit. . .*

Nec praetereundum esse duco verbum faciendi, quod causativam[59], quam dicunt, vim assumpsit atque hoc sensu usurpatum creberrimum fuit apud scriptores posteriores nec non transiit in usum linguarum, quae plurimum ex Romana lingua profluxerunt. Talem autem vim Hyginus verbo faciendi induit, cum 145 (24, 19) scribit: *Iovis eam deam Aegyptiorum esse fecit.*[60]

Priusquam vero

de accusativo cum infinitivo

verba faciamus, haud supervacaneum esse putamus commemorare orationi quoque rectae adiungi verbum *aio*, quod obliquae tantum praefixerunt optimi scriptores. Scribit enim Hyginus 167 (20, 15) *Iuno in Beroen . . se commutavit et ait: alumna, pete a Iove . . 171 (28, 1) Atropos ait: tamdiu hic vivet . . 126 (110, 11) cum interrogasset Eumaeum, qui essent, ait: proci venerunt* . . Idem studiosissimus variandi rectam admittit structuram 179 (35, 9) *ut intellegas, inquit, quae sit voluptas . . .*

Ipse autem infinitivus cum verbis nonnullis coniungitur, quae ex legitimo usu *ut* cum coniunctivo requirunt. Quorum in numero haec verba sunt ponenda:

Instigare 166 (20, 2) *tunc ergo Neptunus . . instigavit Vulcanum Minervam petere in coniugium.* Nec post verbum *imperandi*, quod recte multis locis cum infinitivo praesentis passivi consociat 105 (96, 9), 108 (98, 5), 194 (125, 2), 88 (84, 17; cf. Draeger II², p. 387), coniunctivum ponere dubitat omissa coniunctione *ut* 91 (87, 5) *imperant, quicquid pareret, necaret. Petere* 32 (66, 7) *petiit sibi dari responsum.* Iam cum ex hoc loco cum verbo petendi apud Hyginum accusativum cum infinitivo coniunctum exstare intellegatur, equidem 194 (124, 12), ubi invenitur: *qui cum a rege petiisset per civitatem artem suam illustrare,* non cum Schmidtio consentiam, qui verba *ut sibi liceret* excidisse arbitratur, sed accusativum *se,* qui subiecti vice in illa constructione fungeretur, omissum esse iudicaverim secundum sermonis proprietatem Hygini paulo infra fusius tractandam.

Nec praetereundus est usus verbi *cogendi,* ad quod et infinitivus accedit et tota enuntiatio, cui praeest coniunctio *ut,* 7 (41, 7)

---

59 Cf. *Krause:* De Vergilii usurpatione infinitivi, Halle 1878, p. 49 sq.

60 Cf. *Thielmannum:* facere mit dem inf. in *Woelfflini* Archiv. III, p. 188.

dolor eam in ipso bivio coegit partum edere. 38 (68, 22), 31 (65, 4). — 145 (24, 15): *coegit eam ut se in mare praecipitaret,* 38 (68, 14).

Magna autem cum licentia in usu verbi *iubendi* Hyginus versatur; nam praeter iustam accusativi cum infinitivo constructionem, quam non aspernatur 139 (17, 11) *Amalthea iussit eos circum arborem euntes crepare,* verbum illud cum coniunctione *ut* coniungere non dubitat; qui usus haud alienus a vulgari poetarum comicorum sermone ab optimis pedestris orationis scriptoribus paucissimis locis exceptis omnino expulsus apud poetas aetatis Augusteae crebrior fieri coepit (cf. Draeger II², p. 235): 196 (125, 17) *Pan iussit eos, ut in feras bestias se converterent.* Idem verbo iubendi dativum personae adnectit, quam excipit enuntiatio per *ut* prolata 55 (59, 16) *Iuno Tityo iusserat, ut Latonae vim afferret.*

De subiecto omisso in accusativo cum infinitivo.

Solus infinitivus cum nonnullis verbis coniungitur, quae in prosa oratione nullam aliam constructionem nisi accusativi cum infinitivo recipere solent, ut subiectum enuntiationis videatur omissum esse[61]. Sunt autem verba dicendi et iubendi:

Negare: 26 (55, 14) *sacerdos Dianae regi negabat sacra caste facere posse.*

Vovere *89 (86, 2) his rex Laomedon vovit quod regno suo pecoris eo anno natum esset immolaturum.*

Respondere *95 (89, 3) cui responsum erat egentem domum rediturum cf. 23 (54, 3).*

Promittere *100 (93, 15) huic Teuthras filiam Augen in coniugium daturum promissit.*

Iubere *27 (56, 17) ensem ei tradidit iussitque avi sui iniurias exsequi; 169 (32, 14) beneficium ei tribuit iussitque eius fuscinam de petra educere.*

Qua in re commemorare liceat cum verbis *promittendi* Hyginum, quae eius est ubique a nobis dicta consuetudo uni eidemque voci varias constructiones adnectendi, et praesentis temporis et futuri infinitivum coniunxisse: 41 (70, 5) *Theseus voluntarie se ad Minotaurum pollicitus est ire. 92 (88, 7) Venus Helenam se in coniugium dare promisit.* Dilucide autem hic variandi usus demonstratur 67 (73, 14) *ea regi Creonti simultatem constituit, si carmen, quod posuisset, aliquis interpretatus esset, se inde abire: si autem datum carmen non solvisset, eum se consumpturam dixit neque aliter de finibus excessuram; 68 (75, 17) Tiresias praemonuit, si ex dracontea progenie aliquis interiisset, oppidum ea clade liberari; 178 (34, 21) ubi decubuisset, ibi fatum esse eum oppidum condere et ibi regnare.*

---

[61] Cf. *Holtze,* Synt. prisc. lat. II, p. 33; Draeger II², p. 414 sq.

Hic perstringatur structura infinitivi, quem cum verbo *timendi* Hyginus consociat, quo usu ceteri pedestris orationis scriptores in universum abstinuerunt. (Cf. Draeger II², p. 328). Locus autem invenitur 74 (79, 13) *illa timens puerum in terram deponere.*

Acc. et nom. cum inf. ex uno verbo pendentes.

In verbis construendis minime sibi constans Hyginus nominativum cum infinitivo excipi iubet constructione accusativi cum infinitivo uno eodemque verbo, ex quo pendent, praemisso 82 (82, 17) *ob id dicitur in aqua media fine corporis stare et cum haustum aquae vult sumere, aquam recedere;* 36 (67, 22) *Tunc dicitur Philoctetes pyram construxisse Herculi eumque accendisse mortalitatem.* Ad nominativum cum infinitivo pertinet 273 (148, 7) *Paris inventus est esse filius Priami.*

De syntaxi casuum.

Accusativus.

De accusativo obiecti simplicis.

Mirum in modum accusativus adiunctus est verbo *insidiandi* 18 (51, 11) *quod eum saepe insidiaretur.*

Accusativum loci Hyginus adhibet more poetarum (cf. Verg. Aen. III 254 *ibitis Italiam,* VI 122, Bucol. I 64 . . .) his locis, quibus praepositionem *in* exspectamus: 140 (18, 6) *Parnassum redit,* 140 (18, 10).

De accusativo duplici.

Hic ante omnia sermo fiat de verbis *postulandi.* Coniunguntur autem cum accusativo rei aut, id quod saepius fit, personae, quam quis postulat (poscit, petit), adiuncto altero accusativo, qui finem continet poscendi, cum persona, a qua quis quid postulat, aut omittatur aut in ablativo ponatur antecedente iusta praepositione a: 33 (66, 15) *Eurytion petit Deianiram uxorem.* 168 (31, 12) *Aegyptus fratrem interficere voluit et filias eius filiis uxores a fratre poposcit.* Accedit verbum *pollicendi* 168 (31, 19) *pollicetur eis filias suas uxores.*

De obiecto interno.

Obiectum, quod vocatur internum verbisque apponitur notione praeditis intransitiva, Hyginus passim usurpat, veluti *iter gradientes* bis scriptum videmus: 38 (68, 14) et 38 (68, 22). Idem adiectivi genus neutrum adverbii loco posuit, nimirum poetarum imitatione ductus, cum scribit 154 (27, 18) *is quoque moriens flebile canit.* Quae verba,

uti Schmidtius observat, versum redolent *moriens quoque flebile cantat.* Neque hunc obiecti interni usum commemorassemus, nisi Bunte et Schmidtius 273 (147, 4 sq.) *in quibus* (gymnicis) *contendit* (Hercules) *pammachium* Scheffero auctore ablativum *pammachio* in textum recepissent. Equidem sto a Barthio, qui Stat. III (p. 343) lectionem *pammachium* defendit ad graecum verbum *ἀγωνίζεσθαι* nos relegans. Sermoni Hyginiano, qui refertus est omnibus graecorum constructionibus, obiectum illud tribuere nos non dubitamus.

Neque anticipationis usu, qui latius in sermone patet plebeio, Hyginus abstinuit, quamquam ea semel utitur 34 (67, 2) *Ille cum sciret sagittas hydrae Lernaeae felle tinctas, quantam vim haberent veneni.*

De nominibus urbium cum praepositionibus coniunctis.

Nomina urbium suis legibus contineri et apud optimos scriptores praepositionibus omnino carere satis constat. Quamquam iis priscos quidem scriptores praepositiones *in* et *ab* nonnumquam praefixisse Holtze I (p. 205 sq.) nos docet[62]. Quem usum denuo Livius generi suo eloquendi vindicavit. At Hyginus hac in re est plurimus, cum utramque praepositionem nominibus urbium praefigit: *73 (78, 17) si ad Thebas oppugnatum isset, 74 (79, 7) devenerunt in Nemeam, 98 (92, 23) quam cum in Aulidem adduxisset, 184 (38, 2) profugit ab Thebis, 41 (70, 5) posteaquam a Troezene venerat, 41 (70, 5), 67 (74, 10) a Thebis Antigona filia duce profugit, 69 (77, 4), 92 (88, 10) Alexander Helenam a Lacedaemone abduxit, 98 (92, 15) in Aulide tempestas eos retinebat, 118 (102, 25) ab Ilio discesserat, 125 (106, 9), 135 (115, 4), 187 (119, 15), 193 (124, 4), 223 (131, 6) domus Cyri regis in Ecbatanis, 273 (148, 2) in Ilio, 38 (69, 4) a Creta.*

Dativus.

Dativus loco genetivi post verbum *miserendi* personaliter usurpatum invenitur 58 (60, 21) *cui Venus postea miserta est.* Genetivum *cuius,* quem in codice suo Berkelius scriptum vidit, Bunte et Schmidtius contra *F* optimi libri fidem in textum recipere non dubitarunt. Nos huius codicis auctoritate freti hanc tam rudem structuram defendamus, quippe quae non aliena sit a sermone scriptorum ecclesiasticorum, quibuscum Hygino permulta sunt communia; cf. indicem, quo *Hartelius* Luciferi Calaritani opuscula instruxit (p. 367), ubi haec exempla inveniuntur: 58, 8 *misereri noli tibi ipse,* 4, 26 *misereamini eis,* Prov. 19, 17 *qui pauperi miseretur, deo*

---

[62] Cf. *Koenig* Quaestiones Plautinae et *Edmundum Haulerum* in Woelffl. Archiv I. p. 303 sq.

fenerat, Cyprian (ed. *Hartel.*) Testim. III 1 ad Quirin. (p. 48 pr.). Alia huius usus exempla permulta *Roenschius* congessit (p. 413 sq.).

Inter ea verba intransitiva, quibus dativus adiungitur, verbum *accedendi* commemoremus, quod exstat 15 (50, 11) *Argonautae Lemno accesserunt.* Bunte enim hic et aliis locis accusativum *Lemnum* restitui iubet. At ne accusativus quidem usui respondet praestantissimorum scriptorum, qui praepositionem *ad* adicere maluerunt. Cf. Draeger I² p. 407. Ipse autem dativus satis munitur his locis poetarum, quorum rationem dicendi perlibenter hic amplectitur: Ovid. met. 15, 745 *accessit delubris advena nostris,* ibid. 818; Sil. Ital. 15, 571 *silvis accedere nostris.* Recte Schmidtius traditam scripturam servavit.

Ablativus.

Iam in hoc casu usurpando longius Hyginus extra fines prodit, quibus eius usus ex legibus sermonis continetur.

Ablativus post adiectiva, quae vocantur relativa.

Nonnullis adiectivis relativis adnectitur ablativus, cuius locum apud alios scriptores aut genetivus ille relationis obtinet aut ablativus cum praepositione *in* coniunctus. Ex tribus autem, quae iam enumeremus, adiectivis relativis *potens, prudens, scius* probatissimi auctores sensu illo solum usurparunt *prudens,* reliquis duobus vim illam relativam numquam indiderunt.

Prudens 14 (46, 11) *hic augurio prudens;* **potens** 194 (124, 11) *Arion arte citharae potens;* cf. Draeger I² p. 476; **scius** 92 (88, 5) *omni artificio scium*[63].

De ablativo loci.

Miram et singularem huius casus rationem sermo Hyginianus prae se fert post verba nonnulla, quae *movendi* vim continent. Fluctuat[64] enim oratio inter accusativum praemissa praepositione *in* et ablativum eadem praepositione aut praefixa aut plane omissa[65].

Deponere 74 (79, 13) *illa timens puerum in terram deponere, apium altissimum ... quo puerum deposuit.* Contra in eadem fabula paulo supra (79, 10) invenitur *ne in terra puerum deponeret.* Proprietates

---

[63] Verba *omni artificio scium,* quae interpolatori cuidam deberi Schmidtius in adnot. crit. coniecit, non est, quod in dubium vocemus; nam quamquam solus Hyginus adiectivum *scius* cum ablativo consociat, cum Lactant. 2, 14, 6, Macrob. sat. 6, 9 genetivum ei vindicent, tradita scriptura duobus exemplis antecedentibus satis fulciri mihi videtur.

[64] Cf. *Hartelium* in Woelffl. Archiv. ... III p. 43.

[65] Cf. *Zink* l. c. p. 44. De aliis et singularibus quibusdam praepositionis *in* constructionibus suo loco disseremus cum de praepositionum usu verba faciemus.

autem eius generis cave tribuas librariis, quos lineolas illas transversas facile praetermittere potuisse satis constat. Frequentiores enim, quos item praepositionum usus infra illustrabit, exstant loci, quam ut ubique librariorum neglegentiam et non consilium scriptoris ipsius deprehendi nobis persuadeatur. Verum hac facta digressione, unde profecti sumus, redeamus. **Imponere**: 15 (50, 9) *in navem imposuit*. Idem verbum 72 (76, 3) hanc exhibet structuram: *in eadem pyra imposuerunt*. **Figendi** verbum Hyginus neglectis sermonis praeceptis 169 (32, 10) ita usurpat: *illa se in petram fixit*. **Abdere**: Contra fixam illam et, ut ita dicam, immotam verborum coniunctionem scriptum videmus 68 (60, 21) *in silvis se abdidit*. **Concludere**: Minus vitiose nec tamen convenienter mori meliorum, ut non dicam, optimorum scriptorum 40 (69, 17) Hyginus verba consociat *in quo est conclusus*; cf. 186 (117, 23). **Includere** 190 (121, 18) *Theonoe iubet sacerdotem includi in cubiculum*. At 136 (116, 1) invenitur: *Minos iubet eum in monumento includi* .. cf. 63 (62, 2). **Deferre** 140 (18, 4) *in insulam eam Ortygiam detulit*; cf. 144 (23, 8). Quod si 139 (17, 7) scriptum videmus: *Iuno autem Iovem in Cretensi insula detulit*, ex exemplis, quae modo attulimus, id nobis nulli erit offensioni; cf. *Zink* p. 44, qui etiam Fulgentium utramque structuram uni eidemque verbo adsignavisse demonstrat: I, 2 *Saturni virilia in mari proiecta*, ibid. *in humoribus viscerum velut in mare proiectae*. Quare immerito Schmidtius l. c. scribendum proponit *Creten insulam*; qua in re vestigia pressit Buntii, quamquam hoc dicendi genus exemplis et ex Hygino et ex posterioris aetatis scriptoribus egregie munitur. Quid, quod idem Schmidtius sine ulla dubitatione 166 (19, 20), ubi reperitur *quem cum Liber pater ebrium in concilio deorum adduxisset*, Buntium *concilium* scribentem omnino aspernatur, tuetur traditam scripturam? Nos quidem respondentes ingenio scriptoris, qui orationem suam variare studet, loco etiam supra dicto ablativum in textum recipiendum esse ducimus. Incredibile autem est dictu, quanta constantia singuli editores ablativum eius generis in accusativum mutaverint tanta apud singulos scriptores exstante multitudine exemplorum, quibus illos quiescendi et movendi notiones plane inter sese confudisse clare cognoscitur. Ex Hygino iis, quae supra enumeravimus, haec addere liceat:

Avehere 51 (58, 1) *qui Alcestim in coniugio avexisset*. Dissuadente Munckero Bunte, ut sibi constaret, accusativum *coniugium* coniecit. **Dare** 92 (58, 22) *petiit ab Iove, ut homines in praesidio sibi daret*. **Afferre** 186 (118, 17) *quorum corpora cum in regia allata essent*. Bunte nimirum sibi constans hic quoque accusativum restituit *regiam*, quem Schmidtius parum sibi hac in re conveniens (cf. quae supra ad 166 (19, 20) exposuimus) probare non veretur. **Exire** 186 (118, 13) *itaque cum in venatione exierint*, quamquam paulo infra recta structura invenitur: *cum in montem exissent*. Barthio auctore Schmidtius *venationem* im-

merito recepit. **Vocare** 190 (121, 27) *patrem Thestorem in adiutorio vocavit.* Neque Buntio, qui *in* secludi mavult, neque Schmidtio, qui *veniret adiutorio patrem Thestorem invocavit* coniecit, ex usu sermonis Hyginiani adstipulari possumus. Ipse enim hic usus praepositionis *in,* quem apud Hyginum certe exstare tanta copia exemplorum demonstravimus, haud parvi momenti videtur esse ad aetatem diiudicandam, cui fabularum scriptor est tribuendus. Sunt autem tempora, quibus, uti supra monuimus, nulla fit distinctio inter notionem quiescendi aut movendi, quibus adnumerandi sunt Fulgentius, scriptores Africani, scriptores ecclesiastici[66]. **Habere** 45 (71, 3) *Tereus cum Prognen in coniugium haberet,* item 10 (42, 25) *hanc habuit in coniugem Neleus.* Contra 41 (70, 14) *eamque in coniugio secum habiturus avexit;* 63 (62, 5) *qui eam in coniugio habuit,* 84 (83, 6) *Oenomaus . . . habuit in coniugio Euaretèn.* His collectis exemplis nemo iam profecto erit, qui cum Micyllo contra librorum auctoritatem et stabilitum usum huius scriptoris locum in dubium vocet, qui est 41 (70, 7) *quem pater cum mitteret, praedixit ei, ut, si victor reverteretur, vela candida in navem haberet.* Cf. locum Fulg. I 25 huic simillimum: *sicut Europam in tauro rapuisse fertur i. e. in navem tauri picturam habentem et Isidem in vacca similiter in navem huiusce picturae.* Cf. Zink p. 44.

Iam hanc ablativi loci partem concludamus ita, ut hunc tam fluctuantem praepositionum usum altero post Christum saeculo deprehendi coeptum esse dicamus.

De aliis ablativi loci proprietatibus.

Substantivo *locus,* quod cum adiectivo coniunctum apud scriptores aureae, quae dicitur, latinitatis praepositionem *in* recusat, Hyginus recta aliis locis verborum coniunctione observata tamen his locis praepositionem praefigit: 8 (41, 19) *in eodem loco,* 75 (79, 21), 133 (114, 7) *in eo autem loco,* 169 (32, 3) *in quo loco.*

Vi quadam attrahendi ablativo loci substantivorum *terra* et *mare* omnibus fere scriptoribus usitato Hyginus ablativum substantivi *caeli* anteponi iubet 139 (17, 8) *ut neque caelo neque terra neque mari inveniretur,* quamquam ablativus *caelo* ne Sallustio quidem aut Catullo aut Vergilio displicuit.

Maiore autem cum insolentia etiam alia quam quae usu venerunt substantiva ad locum significandum in casu ablativo ponuntur nulla praepositione praemissa: 89 (86, 2) *Laomedon vovit quod regno suo pecoris eo anno natum esset,* 120 (103, 18) *ut qui intra fines eorum hospes venisset, templo Dianae immolaretur,* 38 (69, 5) *Minotaurum oppido Gnosi occidit.* Praepositione *in,* quam huc Bursian inseri iubet, nos facile supersedere posse exemplis satis demonstratum est.

---

[66] Cf. *Roenschium* p. 406 sq., *Hartelium* l. c., p. 43, Sittl l. c. p. 128 sq.

De nominibus terrarum et urbium.

Insolenter Hyginus vulgari sermoni indulgens 149 (25, 1) haec legenda proponit: *Iuppiter Epaphum Aegypto oppida communire iussit,* quamquam item Tacitus ann. II 69 ablativum *Aegypto* adhibuit. Quam structuram ipsi poetae evitare studebant[67].

Nec minus insolenter in urbium nominibus ablativus secundae declinationis pro locativo usurpatur; qui usus, cum apud poetas et solutae orationis scriptores, qui ante fuerunt, rarissime inveniatur[68], his apud Hyginum exstat locis: 14 (48, 18) *eum Venus delatam fluctibus Lilybaeo servavit, 67 (74, 4) dum haec Thebis geruntur, Corintho Polybus decedit, 247 (138, 1) ex eo Delo nullus canis est.*

De ablativo temporis.

In universum Hyginus ad tempus definiendum exemplum imitans ceterorum scriptorum ablativum adhibet eorum substantivorum, quibus inest notio quaedam temporalis; a quo usu raro recedit veluti 46 (71, 23) *in eo tempore Eumolpus Athenas venit.* Idem, cum 136 (115, 14) recte *ter in die* scripserit, 125 (108, 23) contra usum stabilitum praepositionem *in* omittit: *quae ter die obsorbebat.*

Atque etiam ad diuturnitatem temporis significandam accusativi vicibus fungitur ille ablativus temporis[69] 125 (109, 3) *Calypso specie Ulyssis capta anno toto eum retinuit. 146* (20, 25) *quod postea Ceres ab Iove impetravit, ut dimidia parte anni apud se, dimidia apud Plutonem esset, 56* (59, 22) *cum Aegyptus annis novem siccitate exaruisset.* Quamquam solito more dicit 75 (80, 1) *Iovis fecit, ut septem aetates viveret;* nec non ad vim diuturnitatis amplificandam praepositionem *per* praemittit 40 (69, 10) *Pasiphae sacra per aliquot annos non fecerat.* Restat, ut locum adferamus 55 (59, 18) *qui novem iugeribus ad inferos exporrectus iacere dicitur,* ubi similiter ablativus locum obtinet accusativi, qui hac in re spatio loci inservit exprimendo.

De ablativo separationis.

Hic ablativus ex verbis *liberandi* et *expellendi* dependens positus est aut nulla praepositione adiuncta cf. 40 (69, 18) *Pasiphae eum vinculis liberavit,* 175 (30, 2) *Agrius fratrem regno expulit* aut cum praepositione a coniunctus: 22 (*53, 16*) *ab omni periculo liberatus est, 64* (*62, 18*) *dicitur eam liberasse a periculo,* 242 (*135, 3* (*cf.* Draeger I² *p. 514*),

---

[67] Parce ea utitur Vergilius. Cf. *Kern*: Zum Gebr. d. Ablat. bei Verg. Schweinfurt 1881, p. 9.

[68] Cf. C. *Wagener* adnot. ad Eutropium. Philol. 42, p. 292.

[69] Hic usus apud alios quoque scriptores argenteae et infimae latinitatis late patet. Cf. *Kritzium* ad Sall. Iug. 54, I p. 295, Hartelium l. c. p. 43.

Agrius expulsus a regno a Diomede, 175 (30, 6) *Agrium e regno expulit.* Verbum *absistendi,* quo caret elocutio Ciceroniana, Hyginus Horatio, Vergilio, maxime Livio[70] praeeuntibus cum solo ablativo coniungit 168 (31, 20) *ut pugna absisterent,* verbum *eripiendi* ab usu communi (cf. Draeger I² p. 512) abalienat, cum 179 (35, 13) scribit: *ab igne ereptum.*

De ablativo causae.

Varias Hyginus saepe usurpat praepositiones ad causalem notionis cuiusdam vim augendam. Hic solum de praepositione *a* verba faciamus, reliquas suo loco tractaturi. Scriptum igitur videmus 14 (48, 24) *ab serpentis morsu obiit,* 171 (28, 4) *ne ab igni obrueretur,* 75 (79, 21) *monitus a sortibus,* 83 (83, 3) *qui a deorum numine vitam recepit,* 192 (22, 20) *sorores ab eo luctu consumptae sunt,* 45 (71, 12).

Ablativus, qui dicitur, originis saepius ponitur verbo, unde pendet, omisso: 14 (44, 12) *Asterion Pyremi filius matre Antigona,* 14 (44, 16) *Polyphemus matre Hippe,* quamquam 219 (129, 9) legitur: *Archelaus quia ab Hercule esset oriundus,* ibid. *ab hoc Alexander oriundus.* Idem cum praepositione *ex* coniungitur 99 (93, 5) *filium exposuit ex Meleagro natum.*

Haud praetermittendum ducimus locum 190 (121, 7) *quam ludentem a mari piratae rapuerunt,* in quo multum desudarunt grammatici. Muncker initio verbis *a mari* offensus *ad mare* restituit, post in tradita scriptura acquievit Hyginum dixisse arbitratus *a mari piratae* pro *maritimi piratae.* Quae interpretatio risum Buntio movit, qui priorem Munckeri coniecturam *ad mare* praefert. Schmidtius risu illo minime gavisus sequitur libros. Ac ne nos quidem ab iis recedimus, memores Hygini graecissantis et ex suo quidem arbitrio haud temere graeca verba latine exprimentis. Vocabulum quod hac in re usu venit, erat substantivum *praedo* et ipsum, ut a praedonibus terrestribus distingueretur, adiectivo praeditum *maritimus.* Quid mirum, quod Hyginus spreto, uti consuerat, vocabulo latino substantivum captat graecum, quod ei propria vi nihil significare videtur nisi *tentare* = *πειρᾶν* ideoque additamento illo *a mari* explicandum est? Sunt autem piratae, qui, uti Muncker rem explicat, ad mare pertinent, ab eo quasi proficiscuntur. Cf. Terent. Adelph. IV, 2, 2 *a villa mercennarium Vidi* . . Carere poterat Hyginus explicatione illa, sed studiosus graecorum verborum novum assumpsit. In verbis autem graecis explicandis aut sine ulla interpretatione simpliciter ponendis quo modo versatus esset, supra (p. 10) disputavimus. Hoc argumento sententiae Munckeri succurrere opus fuisse arbitramur.

---

[70] Cf. *Kühnast* Liv. Synt. p. 166.

De ablativo absoluto.

In hac constructione adhibenda Hyginus in universum grammaticae legibus obsecutus est, nisi quod 63 (62, 4) *quam piscator Dictys cum invenisset effracta vidit mulierem cum infante* ablativum omisit, qui subiecti vice fungitur. Qua re Commelinus emendavit *effracta ea,* Lange l. c. p. 31 *invenisset et effregisset, vidit* proposuit. Cum autem ablativus *ea* ex substantivo *arca* praecedente facillime intellegi possit neque ille usus a Livio aut Tacito sit alienus (cf. Draeger II[2] p. 760) nihil mutandum censemus. Huc referenda esse mihi videtur elocutio illa 112 (99, 16) *in hospitio cognito discesserunt* Praepositio enim *in* proprietatibus plene loquendi adnumeranda est, quibus maxime in praepositionum usu sermo Hyginianus abundat.

De substantivis, quae adiectivorum munere funguntur.

Substantiva, quae dicuntur, mobilia in *tor* et *trix* exeuntia iam apud Ciceronem, magis apud Livium[71] adiectivorum naturam induisse satis constat. Hyginus tali illorum coniunctione parcius est usus, cf. 8 (42, 6) *ab educatore pastore,* quamquam ipsa eum usurpasse (p. 11) exposuimus. At profusius alia substantiva substantivis applicata vice fungi iubet adiectivorum. Cf. 190 (121, 14) *pro iuvene sacerdote,* 25 (55, 3) *uxor advena.* Maxime autem duo substantiva ita inter se coniungit, ut alterum significet nominis genus, alterum speciem. Huc inprimis spectant substantiva *arbor, ventus, mons, terra, flumen, insula,* quae alterum substantivum aut praecedunt aut excipiunt. Iam exempla sequantur: 152 (26, 15) *At sorores in arbores populos commutatae sunt,* item 154 (27, 13), 138 (16, 11) *in arborem philyram commutata est,* 38 (68, 14) *arborem pinum,* 136 (115, 18) *arbori moro,* 140 (18, 3) *ventus Aquilo,* 146 (20, 23) *in monte Aetna,* cf. 144 (23, 9), 140 (17, 14), 153 (26, 19), 9 (42, 20), 54 (59, 15), 36 (67, 23); 140 (18, 15) *in terra Attica,* 46 (71, 24), 152 (26, 11) *in flumen Eridanum,* 154 (27, 10), 141 (22, 11); 140 (18, 5) *in insulam Ortygiam,* 43 (70, 16), 30 (64, 15), 63 (62, 3), 52 (58, 17), 53 (59, 1) *in avem ortygem,* 79 (81, 2) *filiam virginem,* 274 (150, 6) *puella virgo.*

De usu praepositionum.

De praepositionum usu Hyginiano verba facientes quod hac tota disputatione ingressi sumus iter teneamus, ut alienissimum quidque proferamus aut quae eius solius sunt propria. Qua in re

---

[71] Cf. Heerwagen ad Liv. XXI 40, 11.

multis ex rebus facile erit ad cognoscendum hanc sermonis Hyginiani partem, si non certa quadam ratione referre possit aetatem, qua floruit scriptor fabularum, at certe dilucido esse argumento ipsum auctorem temporibus esse assignandum, quibus sermo accurate tractari est desitus et sensus recte dicendi paulatim evanuit. Quid, quod Hyginus, cuius usus praepositionum magnam partem congruit cum sermone satis ineleganti scriptorum historiae Augustae, longius extra fines eorum evagatur, significationes, quales classici, qui dicuntur, scriptores singulis praepositionibus tribuunt, minime curans confundit ac permiscet? Ac proprietatis illius, qua praepositio *in* etiam tum, cum quiescendi notio exprimitur, praeter iustum ablativum casum consociatur cum accusativo aut, cum notio movendi exprimitur, cum ablativo, satis magnam copiam exemplorum (p. 29 sq.) attulimus. Hic, priusquam singulas praepositiones perscrutemur, id moneamus, hunc tam mirum usum, id quod Sittl l. c. p. 129 extr. nos docet, primum ab Africanis latius adhiberi coeptum esse, quem assumpserunt scriptores ecclesiastici, quorum indicibus res comprobatur. Iam cum, uti supra copiosius exposuimus, ipse fabularum scriptor hunc usum minime sit aspernatus, quid hac ex re ad aetatem eius definiendam redundare possit, nemo non videt.

An quis est, qui locis, quos supra attulimus, perlectis fabularum auctorem scriptoribus assignare audeat argenteae latinitatis? At reminiscatur velim novarum vocum, quibus fabulae abundant, respiciat graecas voces, quas audacter sermoni latino inculcavit, revocet in memoriam varias illas constructiones, quibus obstupefacti nullo pacto intellegere possumus fuisse etiam his temporibus, qui fabulas traditas ipsi Hygino vindicarent Augusteo.

Ac profecto varius ac singularis exstat Hygini usus praepositionum. Qui praepositionem *a* adverbio *longe* praeficere non veretur 257 (142, 25) *exclamat a longe.* Qua in re ipse signifer existimandus est scriptorum ecclesiasticorum, qui in hoc usu multum versabantur. Cf. Roenschium² p. 231.

Iam singulas praepositiones percenseamus.

Ad. Cum certis quibusdam rationibus, quae inter substantivum ac verbum intercedunt, apud optimos scriptores dativus inserviat exprimendis, Hyginus data occasione eas saepius ita designat, ut solius dativi locum substantivum obtineat praemissa praepositione *ad:* 72 (76, 7) *Antigonam ad pastores demandavit*[72], 3 (39, 22) *beneficio* (matris) *ad sororem Medeam est commendatus,* 96 (89, 11) *Thebis commendavit eum ad Lycomedem regem,* 79 (81, 5) *ut se ipsi ad periculum offerrent,* 125 (106, 20) *molem saxeam ingentem ad ianuam opponebat.*[73] Huc referamus 126 (110, 22) *ait ad illos,* quamquam paulo supra

[72] Legitima constructio exstat 8 (42, 2) *Antiopa fugae se mandavit.*

[73] Cf. Hand Tursell. I p. 83, Roenschium² p. 426 et 480.

recte dicitur: *cui Ulixes ait.* — Locum ipsum, cum ad homines refertur, apud quos aliquid agitur vel est, praepositione *apud* indicari satis constat. At Hyg. hac in re praepositionis *ad* usu valde delectatur: 28 (57, 10) *qui ad inferos dicuntur hanc poenam pati,* item 55 (59, 19), 62 (61, 22), 82 (82, 18), 60 (61, 13); 63 (62, 7) *quod cum Acrisius rescisset eos ad Polydectem morari,* 125 (108, 3) *quem ad Circen reliquerat.* Cf. Roenschium[2] p. 390.

Neque ille usum aspernatur, quo breviloquentiae cuidam studens praepositioni *ad* cum solo substantivo coniunctae notionem vindicat finis vel termini cuiusdam actionis designandi: 125 (107, 23) *socios eius ad formam pristinam restituit.* 187 (119, 11) *ad necem includi.* Idem *ad* pro *adversus* sive *contra* ponere non dubitat: 121 (104, 9) *Agamemno cum ad Troiam isset..* Praepositione *ad* hoc loco non tam regionem, ad quam Agamemno accessit, sed ipsum hostilem aggressum significari, loco docemur 96 (89, 12) *si ad Troiam expugnandam isset,* cuius memor Schmidtius, ut praepositioni insolitam illam contrariae actionis notionem subtraheret, loco, quem tractamus, *expugnandam* inseri iussit. Ac profecto, cum talis notio abhorrere videatur a natura huius praepositionis, nescio an eius sententiae accessissemus, nisi alterum locum invenissemus, quo hic egregie munitur. Est autem 91 (87, 16) *Deiphobus gladium ad eum strinxit.* Cur etiam hic cum Schmidtio *adversus* coiciente singularem dictionis Hyginianae proprietatem emendando reiciamus, causam equidem video nullam.

Nec minus peculiaris huius praepositionis usus 260 (144, 9) deprehenditur: *licet secundum Catonem ad Italiam venerit.*

De. Peculiari quadam ratione haec praepositio cum verbis coniungitur, quibus adhaerere solent praepositiones *ab* sive *ex:* 55 (59, 15) *de monte Caucaso est solutus,* 169 (32, 14) *iussitque eius fuscinam de petra educere,* 22 (53, 19) *de fano sustulit pellem, 79 (81, 2) virginem de fano Dianae rapuerunt, 86 (84, 5) de regno est eiectus, 88 (85, 6) gladiam de vagina extraxit, 136 (115, 22) puerum exanimem de dolio eduxit, 261 (144, 10) cum de Graecia ad Aulidem Danai venissent, 274 (150, 23) qui de mari exisse dicitur. Cf. Roenschium*[2] *p. 395.*

Ipsa quoque causa, unde aliquid fit, vel instrumentum, quo quid efficitur, praepositione *de* his locis exprimitur: 67 (73, 8) *mortem ei adesse de nati manu,* 66 (72, 18) *Laio erat responsum de filii sui manu mortem ut caveret, 75 (79, 23) inter Iovem et Iunonem fuit iocosa altercatio, quis magis de re venerea voluptatem caperet.* Roenschius[2] p. 393 ad hunc usum illustrandum solum *unde* attulit 126 (110, 24) *accipiet harundinem, unde victum eiciat,* 112[74] (99, 20) *Aiax Hectori donavit balteum, unde se interfecit.*

---

[74] Falso apud Roenschium legitur 123 pro 112.

In: De hac praepositione multa supra dicta sunt. In eam maxime quadrant observationes, quas de praepositionum usu praemisimus. Ipsas eius proprietates sub verbo ***habendi*** (p. 31) exposuimus. Hoc loco de usu eius consecutivo pauca verba faciamus[75], quo ipse effectus sive finis cuiusdam actionis significatur: 18 (51, 10) *Lycus Argonautas recepit hospitio in honorem eo, quod, 8 (42, 1) Antiopa Dirce uxori Lyci data . . . in cruciatum, 190 (121, 8) quam rex Icarus sibi in concubinatum emit.*

Atque constructionem argenteae latinitati maxime peculiarem invenimus 139 (17, 8) *in arbore suspendit.*

Per: De hac praepositione Bunte pauca disputans (p. 22), nonnulla inter se miscere videtur. Cui distributiva, quam huic praepositioni Hyginus tribuit, vis aliena videtur, nobis non item (Cf. Draeger. I² p. 602). Reperitur autem his locis: 138 (16, 7) *Saturnus Iovem cum quaereret per terras,* 139 (17, 6); 67 (73, 17) *rex per Graeciam edixit.* At latius patet usus instrumentalis, causalis, modalis huius praepositionis. Bunte haec adfert exempla: 8 (42, 4) *in eundem locum Dirce per bacchationem Liberi delata est, 94 (88, 19) quod Anchises per vinum est elocutus, 125 (108, 4) cui Elpenor respondit se ebrium per scalam cecidisse.* Adiungamus 8 (41, 22) *per obtestationem mandat,* 184 (36, 23) *per hunc caelum verti solet,* 184 (37, 23) *per insaniam,* ibid. *qui cum per lassitudinem obdormisset.*

Ex, ab: Ex multis ac variis harum praepositionum significationibus adferamus eam, qua causa indicatur, ex qua quid oritur: 140 (17, 4) *huic ex Latonae partu interitus erat fato futurus; 181 (37, 1) fatigata ex assidua venatione, 14 (48, 23) Mopsus autem ab serpentis morsu obiit,* 83 (83, 3) *qui a deorum numine vitam recepit.* Praegnanti, ut ita dicam, ratione loquitur Hyginus 125 (107, 15) *quos illa ab humana specie immutavit.*

Pro: Huius praepositionis vim adferamus eam, qua speciem alicuius induit vel imitatur: 24 (54, 17) *ipsa ad Peliae filias pro sacerdote Dianae venit,* 190 (121, 14) *Leucippe pro iuvene sacerdote circum terras exit,* 91 (87, 7) *quem pastores pro suo filio repertum expositum educarunt.*

Fine = usque: ***Fine*** cum genetivo sensu locativo coniunctum, quod rarissime reperitur[76], Hyginus ponit 82 (82, 18) *Dicitur* (Tantalus) *ad inferos in aqua medii* (Schoppius; *media* editt.) *fine corporis stare.*

Quaestionem, quam nobis initio huius disputationis tractandam proposuimus, his paginis nondum perfectam atque absolutam esse non ignoramus. Syntacticas rationes nobis ante omnia inquirendas putavimus, cum, quae ad ipsas vocum formas pertinent, haud ita alienae videantur ab aliorum scriptorum oratione aut dignae, quae

---

[75] Cf. Haase l. c. p. 708 adnot. 570 i.

[76] Cf. Woelfflin Archiv. . . I, p. 424 sq.

separatim tractentur[77]. Ac ne syntacticas quidem rationes fabularum scriptoris ad certum quendam finem perduximus. Exstant enim partes earum nonnullae, quae aptius cum aliis quaestionibus cohaerere nobis videntur, ut suo quidque loco tractetur. Ac profecto quis est, quin de poetico colore multorum locorum sermonem fieri oportere intellegat? Nec praetereundam putamus magnam copiam verborum, quae ei mirum quantum suppeditavit ad variandam orationem[78]. Ne multa; totam quam dicimus syntaxim ornatam inquiramus oportet, ut de oratione fabularum scriptoris iudicium feramus, quod quaestione nitatur ex omni parte instituta ac perfecta; quamquam in ipsa hac disputatione data occasione non potuimus legentibus non demonstrare, quam abhorreat ille sermo a scriptoribus argenteae, ut non dicam, aureae latinitatis.

Quid autem de auctore ipso sit existimandum, quamquam, quid ipsi statuamus, p. 6 sq. exposuimus, tamen id ex omni parte non ante diiudicari posse putamus, quam utrum rationes quaedam inter fabularum librum et Poet. Astron. intercedant necne, fusius inquisiverimus.

Hanc utramque quaestionem alio loco tractare animum induximus.

---

[77] Singulas ad genus et formationem nominum pertinentes proprietates breviter nobis attingere liceat. Substantivi *dies* et masculinum et femininum genus Hyginus adhibet atque utrumque promiscue in eadem sententia collocat: 59 (60, 26) *qui die constituta cum non venisset, illa eo die dicitur novies ad litus cucurrisse,* 33 (66, 16) *die constituto,* 29 (63, 20) *ex qua die cum ea non concubuit.* Cf. Neue I, p. 681 sq. Idem substantivo *Peloponnesus* genus vindicat neutrum, cum scribit 84 (83, 22) *Hippodamiam in patriam abduxit, quod Peloponnesum adpellatur.* Substantivo *clipeus,* cui 170 (34, 6) genus tribuit masculinum, 273 (146, 14) genere accipit neutro: *clipeum, quod Danaus in iuventa gesserat.* Substantivum *corium,* cuius genus masculinum semel a Plauto usurpatur Poen. 1, 1, 11, cf. Neue I, p. 534, hic item genere masculino posuit 195 (125, 12). Quamquam hoc inter plebeia referendum est. — Heteroclito utitur substantivo *Sphinx,* cuius nominativum *Sphinga* admittit 67 (73, 18). Recte Schmidtius hanc formam tuetur nos relegans ad Augustin. C. D. 18, 13, Sidon. Ap. ep. V 7 ap. (Cf. Neue I p. 333). — Ablativus numeri singularis adiectivorum, quae in gradu comparativo posita sunt, exiens in *i* bis reperitur: 38 (68, 18 et 19): *minori lecto — lecto longiori.*

[78] Verbo *moriendi,* ut rem exemplo probemus, exprimendo hae locutiones inserviunt: 14 (48, 20) *perierunt,* 14 (48, 24) *obiit,* 45 (71, 5) *Prognen suum diem obisse,* 26 (55, 21) *debitum naturae persolvit,* item 52 (58, 19); 59 (61, 3) *spiritum emisit,* 67 (74, 4) *decedit,* 192 (122, 20 sq.) *sorores ab eo luctu consumptae sunt.*

Ein bilingues Majestätsgesuch aus dem Jahre 391/2 nach Chr.

von

Karl Wessely.

Wohl dürften noch jene Begebenheiten und Veränderungen in lebhafter Erinnerung sein, die sich vor wenigen Jahren an der Südgrenze Ägyptens vollzogen haben. Dort hat jenes Land, das man die Wiege der menschlichen Cultur genannt hat, an seinen bald nach Süden vordringenden, bald nordwärts zurückgelegten Gemarkungen zum Nachbarn eine weite Länderstrecke, die, wie sich wiederholt gezeigt hat, unheimliche Kräfte birgt, welche plötzlich mit unerwarteter Heftigkeit hervorbrechen, und dem Nil als natürlichen Wegweiser folgend, das Culturland nunmehr dort angreifen, wo es weder durch Gebirge noch durch das Meer oder die Wüste von der Natur die Schutzwehr erhalten hat, welche sonst seine Flanke deckt. Und in der That, eine ernstliche Bedrohung hat Ägypten nur von zwei Richtungen erfahren, erstens von jener Seite her, wo Asien angrenzt, und wieder von Süden, so in neuerer wie in alter Zeit.

Betrachten wir diese Südgrenze Ägyptens, so ist in den verschiedenen Zeitläuften eine ziemliche Verschiedenheit wahrzunehmen. Ein starkes Regiment in Ägypten streckt sie merklich vor und weiß sie lange zu behaupten. So war man zur Zeit der römischen Weltmonarchie Jahrhunderte lang gewohnt, als den südlichsten Punkt Hiera Sykaminos zu betrachten; als solcher figuriert er im Itinerarium Antonini, im Geographus Ravennas, in der Peutinger'schen Tafel; daneben wurde als die eigentliche, die „heilige Eingangspforte" Ägyptens Syene betrachtet.

Da erscheint, als die Epoche des Principates im 3. Jahrhundert sich ihrem Ende mit vollständigem Bankerotte auf allen Gebieten des staatlichen Lebens mit wachsender Schnelligkeit auf abschüssiger Bahn näherte, an der Südgrenze Ägyptens eine bis dahin unbekannte Völkerschaft, die B l e m m y e r. Auch abgesehen

